CONFESSIO CHRISTIANAE FIDEI, ET EIVSDEM collatio cum Papisticis Hæresibus.

PER THEODORVM BEZAM Vezelium.

Adiecta est altera breuis eiusdem Bezæ fidei Confessio.

LONDINI
Excudebat Thomas Vautrollerius Typographus.
1575.

PRAECIPVA CAPITA

QVAE IN HAC THEO-dori Bezæ confessione fidei explicantur.

Caput primum. De vnitate & trinitate Dei.

II, De Deo Patre.

III, De Filio.

IIII, De Spiritu sancto.

V. De Ecclesia.

VI, De vltimo iudicio.

VII, Antithesis Papatus & Christianismi.

THEO-

THEODORVS BEZA VEZELIVS MELIORI VOLMARIO RVFO, PRAECEPtori & parenti plurimùm obseruando, Gratiam & pacem à Domino.

QVoties anteactæ vitæ meæ recordor, recordor autem sæpissimè sicut par est, toties necesse est vt innumerabilia tua in me beneficia mihi in mentem veniant, pro quibus quum parem tibi gratiam referre nullo modo possim, habere tamen constitui, sicut gratum hominem decet & acceptorum beneficiorum memorem. Quoniam autem hunc libellum placuit Confessionem vocare, volui cum fidei meæ professione coniungere superioris ætatis meæ narrationem, & quidem ab ipso, quod aiunt, ouo exordiri. Patieris enim me, vt spero, in istis repetendis, quasi repuerascere, quorum narrationem nec tibi iniucundam, nec mihi inutilem fore confido. Anno Domini 1519. die 24. Iunij. Ioh. Baptistæ natalibus sacro, Vezelijs, vetusto Heduorũ oppido, placuit Deo Op. Maximo vt mundi lucem primùm aspicerem, P. à Beza eius oppidi Præfecto & Maria Burdelotia, vtroque, Dei gratia, genere nobili, (vtinam verò potiùs veri Dei cognitione imbuto) & integræ famæ parente natus, & in paterna domo tenerrimè educatus. Erat

mihi per id tempus patruus Nicolaus à Beza in senatum Parisiensem allectus, cœlebs quidem ille, sed qui fratris sui, id est, mei parentis filios ita charos haberet, vt omnes statim domum suam cuperet translatos, & in ijs honestissimè educandis nec sumptibus vllis nec diligentiæ parceret: Is quum fortè Lutetia ad suos venisset, singulari quodã mei adhuc infantis amore captus, Deo iam tum saluti meæ prospiciente, non destitit donec à patre impetraret vt me quanuis adhuc à nutricis vberibus pendentem, Lutetiam abduci sineret. Id verò, vt sæpe audire memini, ægerrimè quidem tulit mater, quasi vẽturi mali præscia, sed tamen mariti imperio obsecuta, Lutetiam vsque me recens ablactatum perduxit. Inde domum reuersa, non ita multò pòst alterum femur ex equi lapsu confregit, & ipsa suis manibus restituit. Erat enim, vt accepi, ad physiologiæ studiũ pro fœminarum captu, quodam impetu naturæ propensa, ideoque sese in istiusmodi rebus ab infantia exercuerat, & libentissimè solebat non sine quapiam dexteritate pauperes varijs eiusmodi subsidijs subleuare, adeò quidem vt quasi communis quædam illorum parens ab omnibus diligeretur, & quod ad me attinet, id quoque inter singularia Dei beneficia numerem, quòd me ex illa muliere nasci voluerit. Sed, vt ad rem redeam, paulò pòst ardente febre correpta, è viuis excessit, magna cum familiæ nostræ iactura, annos nata circiter 32. septem relictis superstitibus liberis, nempe fœminis quatuor, maribus tribus, quorum ego minimus natu, tertium annum nõdum impleueram. Ego interea Lutetiæ quanuis summa cura educarer, tamen moriebar potiùs quàm viuebã, perpetuis languoribus ita prostratus, vt vix ante quinquennium è cunis proreperem. Et vix dum emersera-

ram quum ex pediſſequi cuiuſdam, quîcum puellus luſitabam, non animaduerſa contagione, porrigo me miſerum corripit: malum ſuapte natura peruicax, ſed tum valde acerbũ, quòd imperitia medicorum, quanuis in vrbe celeberrima, eiuſmodi tum eſſet, vt non niſi validiſſimis atque adeò crudeliſſimis medicamẽtis ad abigendum id malum vterentur. Itaque horret animus meminiſſe quantos co tempore cruciatus, miſerante patruo & fruſtrà omnia experiente, ſuſtinuerim. Et placet hîc quoque ſingulare exemplũ diuinæ in me beneuolentiæ commemorare. Quum Chirurgus qui me ſanandum ſuſceperat, ſoleret domum noſtram ventitare, nec omnino pati poſſet patruus vt abſente ſe vel digitum mihi admoueret (adeò ille me tenerè & ardenter diligebat) non potuit vir humaniſſimus tantorũ dolorum diutiùs eſſe ſpectator. Itaque cubiculario ſuo mandauit vt quotidie me vnà cum cognato quodam meo quem mecum alebat, quique eodem malo fuerat correptus, ad Chirurgum deduceret, cuius ne conſpectum quidem ipſe poſſet ſuſtinere. Habitabat patruus in ea vrbis parte quam appellant Vniuerſitatem: Chirurgus autem non procul ab arce regia quam Luparum vocãt, medio interiecto ponte qui à molitoribus denominatur. Erat igitur pons ille traijciẽdus nobis ad quotidianos cruciatus, illi præſertim ætati intolerabiles, properantibus, proſequente quidem famulo, ſed, vt ſerui ſæpe ſolent, non ſatis diligenter nos obſeruante. Hîc verò memini, & animus horret meminiſſe, meum illum cognatum, qui iam tum militare ingenium totus ſpirabat, ſæpenumero me cohortatum vt in ſubiectum flumen inſilientes tantis doloribus nos ſemel eximeremus. Ego vt natura timidior, primùm quidem exhorreſcere, ſed tamen poſtea vi do-

lorum cogente,& illo vehementer vrgente,polliceor me ſubſequuturum. Iam igitur hoc vnum ſupererat vt nos miſeros perderet Satan, quum Dominus noſtri miſertus effecit vt nobis fortè rediēs è Curia patruus nihil eiuſmodi ſuſpicans occurreret, & valde procul ſequentem ſeruum animaduertens, domū nos reduci, & Chirurgum deinceps ad nos potiùs accedere iuberet. Ita me igitur Dominus iam tum mirabiliter velut ex ipſius Satanæ faucibus liberauit, & quum ab eo morbo eſſem ſanatus, patruo in animū iniecit vt me domi per pedagogum doceret literarū figuras dignoſcere,& ſyllabas coniungere,ita fauente & propitio Deo, vt iam tum omnino decerneret patruus me totum literarum ſtudijs conſecrare. Hìc verò rurſum idem Deus inſigni & inexſpectato prorſus modo me conſeruauit. Quum enim in ea vrbe habitarem quæ iampridem habita eſt pro gymnaſio totius orbis terrarum florentiſſimo,factum eſt vt cōtra omnium noſtrorum conſilium, & impetu potiùs quodam quàm iudicio, Aureliam ad te,mi obſeruāde præceptor, mitterer, qui tum ludum illic ſelectis quibuſdam inſtituendis adoleſcentibus aperueras. Eras autem ipſe patruo meo penitus ignotus, ſed ſingulari Dei prouidentia acciderat, vt tum fortè apud illum cœnaret quidam ex noſtris cognatis,ciuis Aurelienſis,& regij maioris conſilij Senator. Is vbi me conſpexiſſet, & filium mihi prorſus æqualem ſe habere dixiſſet apud Volmarium quendam, hominem in Græca etiam lingua, quod tunc planè nouum erat, eruditiſſimum, & in iuuentute inſtituenda miræ cuiuſdam dexteritatis, Nicolai Beraldi & P. Stellæ doctiſſimorum hominū iudicio:illico patruus, Deo proculdubio id illi inſpirante, non modò omen accepit,ſed ſanctè etiam promiſit fore vt mox Aureli-

am

am me ablegaret, rogauitque vt me filio suo sodalem adiungi pateretur. Ita igitur factum vt ad te peruenirem anno Domini 1528. Nonis Decembris, quem diem ego non aliter quàm alterum natalem meritò soleo celebrare. Fuit enim iste mihi profectò omnium bonorum principium quæ ab eo tempore percepi, & deinceps in futura vita me percepturum cõfido. Nam ab eo tempore quum me penitus puerum domum tuam vnà cum magnæ spei discipulis iam prouectioribus instituendum accepisses, quem laborem non vltro in me formando subijsti? quas molestias in me docendo non pertulisti, Aureliæ primùm, deinde Biturigibus quum in eam vrbem Regina Nauarræ te honesto stipendio ad Græcas literas profitendas euocasset? denique quid non tentasti, ne mihi vlla in parte videretè defuisse? Hoc enim verè possum affirmare, nullum esse nobilem vel Græcum vel Latinum scriptorem quem ego intra septennium quo apud te vixi, non degustarim nullam ex liberalioribus illis disciplinis, ne Iurisprudentia quidem excepta, cuius saltem elementa te præceptore non didicerim. Volebas enim paucos quidem discipulos habere, sed quos omnes ita institutos dimitteres, vt infinitæ cuiusdam diligentiæ tuæ tot domesticos testes haberes. Neque verò hæc expectatio te fefellit, quum hoc tibi quod pauciſſimis alijs contigerit, vt ex schola tua vix quenquam meminisse possim præter me vnum discessisse, qui non ad insignem eruditionem peruenerit. Sed hoc est omnium beneficiorum quæ à te accepi longè maximum, quod veræ pietatis cognitione ex Dei verbo tanquam limpidissimo fonte petita tu me ita imbuisti, vt nisi te non dico pro præceptore, sed pro parente colam & obseruem, omniũ hominum sim maximè ingratus & inhumanus. Iam

verò quum te ſocer ex Gallia in Germaniam retraheret, quem non mouiſtis lapidem tu & ſuauiſſima vxor tua, vt mihi per patrem liceret in Germaniam vos proſequi? Ita enim ab vtroque veſtrûm diligebar, & ego viciſſim ita vos obſeruabam, vt non niſi perinuiti me relinqueretis, & ego non ſine ſummo mœrore à vobis auelli poſſem. Itaque hæſerunt mihi ſemper & adhuc hærent in animo Calendæ Maiæ quo die quum à vobis auellerer, & tu quidem Lugdunum, ego Aureliam verſus ex patris imperio diſcederem, memini, ac ſemper meminero nullum vnquam diem mihi triſtiorem & luctuoſiorem illuxiſſe. Aureliam igitur triduo pòſt quum iam ageretur annus Domini 1535. perueni, vt iuri Ciuili operam nauarem. Ibi verò quum ab illo ſtudio quod & barbarè & ſine methodo illic tradebatur neſcio quo modo abhorrerẽ, ita ſum illud amplexus, vt tamen multò maiorem temporis partem in politioribus literis, & vtriuſque linguæ ſcriptoribus legendis conſumerem. Delectabar autem Poëtices ſtudio mirũ in modum, ad quam naturæ quodam impetu trahi me ſentiebam: quæ res effecit vt eius academiæ doctiſſimos quoſque mihi coniunctiſſimos haberem, qui nunc omnes in Gallia ampliſſimis honoribus fruuntur, tum verò me ſuo exemplo ad politiorum literarum ſtudia cum Iure ciuili coniungenda & poëticos luſus, mirificè incendebant. Hîc igitur à me intra annũ ætatis viceſimum perſcripta ferè ſunt omnia illa Poëmata quæ aliquot poſt annis edidi & nomini tuo inſcripſi, in quibus etſi nonnulla ſunt paulò licentioſiùs, ad Catulli videlicet & Naſonis imitationẽ, ſcripta, tamen minimè tum verebar, ac ne nunc quidem vereor ne qui me tum nouerunt qualis fuerim, mores meos ex fictis illis luſibus æſtiment. Sed de hac re poſtea.

postea. Aureliæ igitur ita vixi cum honestissimis & doctissimis hominibus tantisper dum ad Licentiæ, quam vocant, gradum promouerer, quod quidem factum memini anno Domini 1539. 11. Cal. Augusti, quum annum ætatis vicesimum essem ingressus. Inde Lutetiam venio, mortuo quidem ante septennium meo illo patruo ac Mœcenate, sed altero adhuc superstite, Abbate Frigidimontano, qui me nihilo minùs quàm alter ille diligebat. Sed, Deus bone, quanti nostra interest, vt non tantùm diuites & fidos, verùm etiam verè pios ac religiosos amicos habeamus? Nã profectò nihil propiùs factum est quàm vt ij me perderent qui mihi maximè prodesse volebant. Ecce enim, quum Lutetiam venissem, primùm omniũ multos præsertim ex Senatu, partim cognatos & affines, partim nostræ familiæ veteres amicos inuenio, & eos quidẽ valde mihi priuatim beneuolos, quod nescio quam spem de me, ex quorundam opinione, concepissent. Huc accedebat quod duobus pinguibus & opimis beneficijs me alioqui macrum adolescentẽ, & præterea, quod verè testor, istarum rerum prorsus ignarum & absentem onerarant, quorum vectigalia aureos coronatos annuos plus minus septingentos æquabant: & patruus ille meus, cuius Abbatia non minùs quàm quinquè coronatorum millibus annuis æstimabatur, certum me sibi successorem animo designabat: frater denique meus natu maximus, homo iam tum deploratæ valetudinis, alia iterum aliquot sacerdotia mihi destinabat. Denique infinitas mihi tendiculas circunquaque à Satana obiectas comperio. Ego verò hîc ingenuè, vt par est, fatebor quod res est. Omnino decreueram antea simulatque mei iuris essem, & nonnullæ mihi facultates non deessent, ad te discedere, & puræ conscientiæ libertatem cæteris

rebus omnibus anteferre, & sæpissimè à Deo cum precibus & lachrymis postularam, vt me huius voti reum exaudiret. Sed quum mihi & iuueni, & amicis, otio, pecunia, rebus denique omnibus potiùs quàm consilio abundanti, Satanas omnia illa impedimenta derepente obiecisset, fateor me inani illarum rerũ splendore & vanis blanditijs ita fuisse pellectum, vt me totum huc & illuc abripi facilè paterer. Quid hîc verò commemorem infinita pericula in quæ ipse me sciens ac prudens conieci? quoties & domi & foris, corpore & animo sum periclitatus? Sed quum mihi non possit non esse multis de causis acerbissima omnium illorum temporum recordatio, facit è contrario singularis & incredibilis in me Dei Opt. Maxi. beneuolẽtia vt vicissim quoties illorum recordor, toties incredibili quadam voluptate perfundar, quum in meipso agnosco clarissima ac maximè perspicua eius paternæ solicitudinis exempla, qua sese optimus ille Pater electos suos prosecuturum promisit. Is enim me quanuis extra viam sponte à meipso abreptum, nunquam tamen ita passus est errare, quin sæpissimè ingemiscerem, & meum illud votum de Papismo penitus tandem repudiando, retinerem. Effecit denique vt ita vitam instituerem, vt singulari quodam ipsius beneficio, quum neutrum mererer, nec pietate postremus inter pios, nec bonarum artium prorsus rudis inter eruditos haberer. Quumque mihi præter illa impedimenta quæ antè commemorauí, triplicẽ laqueum Satanas circundedisset, nempe voluptatum illecebras quæ sunt in ea ciuitate maximæ, gloriolæ dulcedinem, quam ego non paruam, ex meorũ præsertim Epigrammatum editione, ipsius quoque M. Antonij Flaminij doctissimi poetæ, & quidem Itali, iudicio eram consequutus: spem denique maximorum

rum

rum honorum mihi propositam, ad quos ex ipsis aulicis proceribus aliquot me vocabant, incitabant amici, pater & patruus hortari non desinebant: voluit Deus Opt. Max. vt miser ego, & qui sciēs ac prudens in hanc viam tam periculosam eram ingressus, tandem ex his quoque periculis euaderem. Primùm enim, ne à turpibus illis desiderijs superarer, vxorem mihi despondi, sed clam, id tamen fateor, & vno tantùm, & altero ex pijs amicis conscio, partim ne cæteros offenderem, partim, quòd adhuc non satis possē à scelerata illa pecunia quā ex sacerdotijs, de quibus antè dixi, percipiebā, vt impurus canis ab vncto corio absterreri. Addita tamē est sponsalibus expressa promissio, fore vt illam primo quidem tempore, reiectis impedimentis omnibus, in Ecclesiam Dei abducerem: & palàm cum ea matrimonium confirmarem: atque etiam interea nullo ex sacris illis Papisticis ordinibus initiarer, quod vtrunque postea sanctè præstiti. Gloriolam autem illam & propositos honores vt pertinaciter reijcerem idem clementissimus pater effecit, amicis non modò mirantibus, sed etiam reprehendentibus pleriſque, & nouum philosophum per iocum appellantibus. Ego tum interea semper in luto hærere, instantibus meis vt tandem certum aliquod vitæ genus amplecterer, & patruo mihi omnia deferente, adeò vt quum vna ex parte me premeret conscientia, & coniux de promisso appellaret: ex altera verò personatus Satan mihi placidissimo vultu blandiretur, & ex fratris morte auctiores mihi reditus essent facti: quasi omnis consilij inops inter istas animi curas incerem. Hic verò quàm mirabiliter mei miserius sit Dominus libentissimè commemorabo. Ecce enim grauissimū morbum mihi infligit, adeò vt penè de vita desperarem.

Hîc ego miſer quid facerem, cùm nihil mihi præter horrendum iuſti Dei iudicium ob oculos obuerſaretur? Quid multa? poſt infinitos & corporis & animi cruciatus, Dominus fugitiui ſui mancipij miſertus ita me conſolatus eſt, vt de venia mihi conceſſa nihil dubitarem. Meipſum igitur cum lachrymis deteſtor, veniam peto, votum renouo de vero ipſius cultu apertè amplectendo, denique totum illi meipſum conſecro. Ita factum vt mortis imago mihi ſeriò propoſita, veræ vitæ deſiderium in me ſopitum ac ſepultum excitaret: & morbus iſtæ veræ ſanitatis mihi principium eſſet: adeò mirabilis eſt Dominus in ſuis vna eadéq; opera ſimul & deijciẽdis & erigẽdis, vulnerandis & ſanandis. Simulatque igitur licuit lectum relinquere, abruptis omnibus vinculis, ſarcinulis compoſitis, patriam parentes, amicos ſemel deſero, vt Chriſtum ſequar, meque vnà cum mea cõiuge Geneuam in exilium voluntarium recipio. Itaque anno Domini 1548. 9. Cal. Nouembris in eam vrbem relicta Ægypto ingreſſus, inueni quod ne ſuſpicari quidem anteà potueram, quanuis eam ciuitatem iampridem audiuiſſem à pijs quibuſque hominibus maximè commendari: ibique domicilium poſui. Porrò cùm de vitæ genere cogitarem, & te, mi pater, Tubingæ inuiſiſſem, ecce me nihil tale exſpectantem Lauſanenſis academia ad Græcas literas ibi profitendas vocat, cuius iudicium quum amplexus eſſet ampliſſimus Senatus Bernenſis, neceſſe mihi fuit Chriſtum vocantem ſequi. Lauſanam igitur anno inſequenti veni, vbi ita me, Dei gratia, vixiſſe puto cũ doctiſſimis & optimis viris collegis meis, vt nulli bono viro diſplicuerim. Inde verò tãdem, id eſt, poſt annum decimum, partim quòd meipſum cuperem Theologiæ totum conſecrare, partim alias ob cauſa

ſas quas nihil hîc attinet commemorare, bona cum Senatus venia, in hanc vrbem iterũ tanquam in placidiſſimum portum redij, vbi me non tam mea voluntas adduxit, quàm maximorum virorum iudiciũ huc adegit vt ſacri miniſterij munus ſubirem, cui quidem longè maximo oneri ſuſtinendo vtinam mihi Dominus tantas vires ſuppeditet vt cũ nonnulla Eccleſiæ ædificatione eo defungi poſſim.

Habes, mi pater, breuem totius vitæ diſcipuli, imò veró filij tui à te nimium intempeſtiuè auulſi, narrationẽ, quam ego vel hanc ob cauſam contexui quòd non ſine maximo fructu ſoleam tot diuinæ prouidẽtiæ ad me conſeruandum exempla libenter intueri, & te præ cæteris non dubitem meis commodis non aliter quàm meipſum affici ſolere. Hanc autem fidei meæ confeſſionem Gallicè initio edideram, vt patri meo quem nonnullorum calumniæ à me tanquam impio & hæretico abalienarant, ſatisfacerem, ac illũ etiam ſi poſſem, in extrema ſenectute, Chriſto lucrifacerem. Suadentibus autem poſtea nonnullis vt illã in publicum ederem, non magnopere ſum reluctatus, & hoc quicquid eſt Latinè expreſſi, ſi modò diſertuli nonnulli patiẽtur, vt Latinum appellem quod ſimplici potiùs, & incondito quodam dicendi genere explicare malui, quàm procul accerſita & recondita quadam facundia exornare. Sunt tamen hæc eadem, fateor, à multis, hoc noſtro præſertim ſeculo, fœliciter declarata, & quidem in primis (dicam enim quod res eſt, vt crepet inuidia) à magno illo Ioh. Caluino altero meo parente: qui & in ſua Inſtitutione copioſiſſimè, & in huius Eccleſiæ Catechiſmo breuiſſimè quidem, ſed accuratiſſimè omnia iſta pertractauit, ex quibus etiam libris hæc à nobis profiteor deſumpta. Sed nihil impedit quo minùs magno cum

fructu in isto multorum fastidio, eædem dapes mutato tantùm nonnihil apparatu, reponantur. Vtilissimũ autem esse eorum studiũ arbitror qui breues & perspicuas harum controuersiarum summas conscribũt, vt qui ad sacrorum librorum lectionem accedũt, certa quædam capita velut numeratò habeant, ad quæ postea singula quæ legunt referre & accommodare possint. Denique futurum spero vt ex ipsa lectione nonnulli fateantur sese nonnihil fructus ex hoc meo labore percepisse. Volui autem hoc quicquid est tuo nomini consecrare, partim quidem quòd æquissimũ sit vt eius agri quem tu primus seuisti, fructum percipias, cuiusmodi quidem ex aruo non admodum feraci colligi potest: partim verò vt pro meis illis Epigrammatum libellis, quos à me iterum edi volebas, hunc infinitis partibus meliorem & sanctiorem accipias. Quod enim ad illos attinet, quis tandem eos vel priùs quàm ego ipse infelix illorum auctor damnauit, vel magis etiam hodie detestatur? Vtinam igitur tandem perpetua obliuione sepeliantur, & mihi, quod spero, concedat Dominus vt quandoquidem quod factum est infectum fieri nequit, qui deinceps nostra legent ab illis plurimùm diuersa, mihi de tanto in me Dei beneficio potiùs gratulari, quàm sua sponte culpam adolescentiæ cõfitentem & deprecantem accusare malint. Vale. Genuæ, quarto Idus Martij, anno Domini 1560.

LOCI AB IPSO AVTHORE emendati.

Pag. 4. lin. 7. lege, omnia essentiæ ipsius diuinæ externa opera, nec Filium, &c. Pag. 21. lin. 15. lege, medijs.

DE TRINITATE

CAPVT PRIMVM.

Articulus primus, Deum vnum esse.

CREDIMVS vnam esse diuinam essentiam quam Deum appellamus, non eò tantùm quia rerũ naturalium cõtemplatio & aspectus nos id docet.[a] sed multò magis quoniam Scriptura sacra nobis eius rei testis est[b].

a *Rom.1.c. 20.*

b *Deut.4.c. 32. Eph.4.a.6.*

II. Vnum Deum tribus personis non diuidi, sed distingui.

Scriptura sacra perspicuè nos docet, hanc diuinam essentiam in tres personas verè esse distinctam, nempe Patrem,[c] Filium, ac Spiritum sanctum, quæ singulæ tres personæ sunt vnus idemq; Deus,[d] æternus, infinitus, & in seipso perfectissimus. Suntque

c *Matth.28. d.19.1.Io. 1.b.7.*

d *Act.17.f. 25. Deut.4.b. 12.*

hæ personæ consubstantiales & coæternæ absque vlla proprietatum aut relationum confusione, itēq; absque vlla inter se impa ritate siue inæqualitate, sicut definijt Ecclesia ex Dei verbo contra Sabellium, Samosatenum, Arium, Nestorium, Marcionem, Eutychetem & reliquos eiusmodi hæreticos quorum furores toto corde execramur.

III. De æterna Dei prouidentia.

Nihil temerè[a] & sine iustissimo Dei decreto accidit, tametsi Deus nullius omnino peccati sit author vel particeps. Eius enim tum potentia, tum bonitas tanta est, adeoque comprehendi non potest, vt tum quoque quum Diabolum, vel prauos homines adhibet in opere aliquo perficiendo, quos postea meritó punit, ipse nihilominus bene iusteque sanctum suum opus efficiat.[b]

a *Eph. 1. b. 11. Mat. 10. c. 20. Pro. 16. a. 4.*

b *Act. 2. c. 23. & 4. c. 27. Rom. 9. d. 19. & 20.*

DE DEO PATRE.

CAPVT II.

Articulus primus, de persona Patris.

CRedimus in Deum Patrem, cuius persona nec Filius est, vtpote quem ab æterno genuit, nec Spiritus sanctus,

ctus, vt qui à Patre & Filio procedat [c]. [c] Ioh. 1.a.1 & 17.a.5

II. Patrem esse creatorem & conseruatorem omnium rerum.

Is est qui quo tempore ei visum est omnia per æternum suum Filium Patri cooperantem è nihilo creauit, [d] & ordine disposuit: quique etiam vi sua infinita & cõsubstantiali, id est Spiritu sancto, à Patre ac Filio procedente, omnia pro æterna sua prouidentia tuetur & administrat. [d] Gen. 1.a.1 He. 1.a.2. & 11.a.3 Ioh. 1.a.3.

III. De Angelis.

Credimus hunc ipsum condidisse non tantùm hunc mũdum aspectabilem, id est cœlum & terram & omnia in eis comprehensa, sed etiam spiritus illos inuisibiles [a], quorum vni, id est ij qui singulari conditoris gratia freti in sua integritate permanserunt, sunt beati ac fœlices Dei Angeli, id est nuncij ad conseruandos Electos: [b] alteri verò, id est Diaboli, quum exciderint [c] absque vlla spe recuperandæ salutis, idq; sua ipsorum malitia, adiudicati sunt damnationi æternæ quæ ipsos manet. [d] Itaque Sadducæorum furores detestamur, qui negant vllos esse spiritus subsistentes [e]: item Manichæorum qui arbitrantur diabolos à seipsis ortos, & natura, non autem naturæ [a] Colo. 1.c. 16. [b] Heb. 1,d. 14. [c] Psa. 103, c. 21. & 34.b. 8. [d] Iob. 8, f. 44. [e] 2. Pe. 2, a. 4. Luc. 8.d. 51. Mat. 25 d. 41. Act. 23. b. 8.

corruptione, malos esse.[f]

f ide passim Augustinum in Manichæos.

IIII. Opera Trinitatis inseparabilia.

Sic tribus personis, Patri, Filio, Spiritui sancto suas distinctas proprietates tribuimus: vt quod attinet ad prouidentiã, creationẽ, ac gubernationem mundi, cæteraq; omnia ad essentiam ipsam Dei pertinẽtia, nec Filiũ nec Spiritum sanctum à Patre separemus.

DE IESV CHRISTO VNICO DEI FILIO.

CAP. III.

Primus articulus, de diuinitate Filij.

CRedimus Iesum Christum, quatenus est Deus[g], esse Filium patris vnicum, ἀμήτορα, genitum, nonfactũ, vnum Deum cum Patre & Spiritu sancto, coæternum, consubstantialem, & omni ex parte Deo patri suo æqualem.

g Io. 1,a,1, & 17.a,5, & 14.b.9, & 20,f, 28. ro.9.a. 5, phil.2,a, 6.

II. Filium ab æterno constitutum esse vnicum Mediatorem inter Deum & Electos,

Is vnus est[a] quem Pater ab æterno naturæ humanæ participem facere statuit, vt per eum suos Electos conseruaret: idque eo modo qui sequitur.

a 1.Ti.2.a.5. 2.Ti.1.c.9. 1.Pe.1.d. 20.Apoc. 13.b.18. Ep.1.4.5.

III. Deus est perfectè iustus & perfectè misericors.

Deus

De[a] summè ac perfectè iustus est [b], quod quum ita sit, sequitur vt nullam iniquitatē probet, aut inultam relinquat. Idem præterea summè ac perfectè misericors est [c]: vnde sequitur omnia beneficia, quibus humanum genus afficit, ex mera ipsius gratia ac munificentia proficisci [d].

[a] Exo. 29. 5. Psal. 5. a 2. Cor. 6. c 14.

[b] Exo. 34. a 6.

[c] Ro. 3. c. 2 & 11. d. 35. Gal. 2 b. 8. 2. Co. 4. b. 7.

[d] Nu. 23. c. 19. Mal. 3. b. c

IIII. Deus est immutabilis,

Deus in suis consilijs prorsus est immutabilis, nec in ijs falli aut impediri vllo modo potest [e]. Quò fit vt quicquid accidit, id ipse ab omni æternitate decreuerit [f]. Id enim ijs consentaneum est, quæ superius diximus de æterna ipsius prouidentia [g].

[e] Ephes. 1. b 1.

[f] Mat. 10. c 29.

[g] Supra articulo tertio primi capitis.

V. Secundas causas Dei consilio non excludi.

Neque verò hæc impediunt, sed potius stabiliunt causas secundas & intermedias, per quas omnia eueniunt. Deus enim quū ab æterno quicquid singulis momentis euenturum erat, decerneret [h], simul etiam rationē ac viā decreuit per quā ita euenire vellet: vsque eò vt etiā siquid in causa secūda vitij reperiatur, nihil tamen in æterno Dei consilio vitij aut culpæ insit.

[h] 1. Sa. 12. c. 11. 1. reg. 12. f. 24. Act. 2. d. 23, & 4. f. 27. 28.

VI. Hominem ad declarandam Dei iustitiam ac misericordiam creatum esse.

Hominum alij beatam vitam ac salutē,

alij ſempiternam mortem ac miſeriam cõſequentur, idque propter Dei gloriam, vt paſſim literæ ſacræ teſtantur. Itaque quum neque fortuitò quicquam accidat, neque Deus vnquam conſilium mutet, perſpicuũ eſt Deum non modò præuidiſſe, ſed etiam ab æterno decreuiſſe genus hominum demonſtrandæ ſuæ gloriæ cauſa creare[a], alios quidem gratis ſeruando per miſericordiam[b], alios verò iuſto ſuo iudicio damnando[c].

a *Gen.1.d.26. Pſa.8.b.6.*

b *Rom.9.c.23. Ephe. 1.b.5. & deinceps.*

c *Ex.9.d.16. Io. 9.c.22. 2.Ti.2.c.20.*

VII. Qua de cauſa primum hominem oportuerit purum creari.

Vt Deus hoc conſilium exequeretur, oportuit primum hominem purum & bonum creari. Nam præterquàm quòd Deus, qui ſummè bonus eſt, nihil niſi bonum poteſt efficere[d], ſi homo prauus & malus cõditus fuiſſet, videretur Deus nullam habere potuiſſe ſatis iuſtam cauſam eius improbitatis puniendæ, cuius ipſe creator & effector fuiſſet.

d *Gen.1.d.31.*

VIII. Oportuiſſe hominem puritate & integritate ſua excidere.

Præterea oportuit hominem ita creari bonum ac purum, vt eſſet tamen mutabilis, & de iſto integritatis gradu (ſua quidẽ vnius

vnius culpa) decideret. Nisi enim peccatũ ita ingressum esset in mundum[e], non haberet Deus tantum argumentum, neq; ad demonstrandam suam misericordiam in ijs seruandis quos ad salutem destinauit, neque ad declarandam suam iustitiam, condemnandis ijs quos meritis pœnis propter ipsorum peccata subijcere decreuit[a].

[e] *Rom.* 11. *d.* 32.

[a] *Ro.* 9, *d*, 17. *& c*, 21. 22.

IX. Hominem à Deo purum ac bonum creatum esse.

Itaque Dominus, eo tempore quo ipsi visum est æternum illud suum consiliũ exequi, creauit hominem, tum marem, tum fœminam, ad imaginem similitudinemq; suam, id est iustitia veraque sanctitate præditum[b].

[b] *Gen.* 1, *d.* 17. *Heb.* 7, *d.* 30. *eph.* 1, *f.* 24.

X. Quomodo sese primus homo cũ vniuersa posteritate tum primæ tum secundæ morti obnoxium fecerit.

Homo verò quum eiusmodi creatus esset[c], Diabolo tamẽ sese sua sponte & nullo penitus cogente cõiunxit per peccatum, ideoque se totámque suam progeniem & & priori & posteriori morti obnoxiũ reddidit, ac propterea etiã ijs rebus omnibus quæ tum ad priorem tum ad posteriorem mortem perducunt.

[c] *Gen.* 2. *c.* 17. *ro.* 5, *b.* 12.

* Vide Augustinũ lib. 13. de Ciuitate Dei *C.* 2. 12. 13. 14.

XI. Qua via ad priorem mortem peruenitur.

*Humorum corruptio & alia infinita in-

Ro. 5. *b.* 12. *he.* 9. *g.* 27.

commoda ex Adami & Euæ peccato quasi gẽtilitio & hæreditario quodam iure promanantia vniuersum genus hominum priori morti (id est migrationi animæ ex corpore mox in cinerem vertẽdo) obnoxium efficiunt.

XII. Priorem mortem sempiternam esse non posse.

Hæc prior mors sempiterna esse nõ potest. Ita enim saltem corpus vel mortem æternam, id est sempiternos cruciatus, quibus dignũ est effugeret, vel à perpetua illa fœlicitate, quæ donum Dei est, excluderetur. Quod si ita accideret, certè æternum illud Dei decretum de æterna misericordia iustitiáque sua demonstranda, irritum ac inane fieret.

XIII. Quæ via ad secundam mortem deducit.

Interior corruptio totius hominis (totius inquam hominis, ita vt ne particulam quidem eius excipiam) quam peccatum Originis vocant, eum ab ipso conceptionis momento reum facit iræ Dei, ac proinde posterioris mortis, quæ est æterna[a]. Etenim, vt rem in pauca conferam, ea corruptio nos ad omnem veri boni speciem ineptos, imò etiam ab omni vero bono auersos & peccati seruos efficit. Quapropter præ-

[a] *Gen.6.b. 5.& 8.d. 21.psa.51. b.7.Ioh.3. a.5.eph.2. b.5.ro.5.c. 14.*

præclarè ſanè Auguſtinus cum Scriptura conſentiens, *Victa* inquit, *vitio in quod cecidit, voluntate, cœpit carere libertate naturæ* [b]. Item, *Homo libero arbitrio malè vſus, & ſe, & illud perdidit.* [c] Item *Laborant*, inquit, *homines inuenire in noſtra voluntate quod noſtrum ſit, & non ex Deo: & quomodo inueniri poſſit ignoro* [d].

b Li. de perfectione iuſtitiæ.

c Enchiridio ad Lauren. cap. 30.

d Li. 2. de peccat. meritis ac remiſſione.

XIIII. Cuiuſmodi arbitrij libertas homini poſt peccatum reliqua facta ſit.

Interea tamen non inficiamur tantum lucis relictũ eſſe hominibus, vt ſint ἀναπολόγητοι [e], neque ſpoliamus eos facultatibus naturalibus, vtpote quas non ademptas, ſed corruptas fuiſſe dicimus, veluti ratione, iudicio, voluntate, quaſi facti ſint ſtipites: imó ne liberum quidem arbitrium eis adimimus, ſi modò illud adijciatur, omnia iſta nihil aliud eſſe quàm tenebras & odiũ aduerſus Deum: neque liberi arbitrij nomine intelligamus facultatẽ aliquam naturalẽ cogitandi, nolendi, faciendi vel bonum vel malum, ſed potius voluntatem nõ coactam, quæ tamen nihil niſi malum neque velit neque poſſit [a]. Bonum enim ſcriptura longè aliter quàm humana ratio definit. Adeò eſt natura hominis non regenerati, id eſt non ſanati, nec per gratiam inſtaurati, non modò vulnerata ac ſaucia-

e Ro. 1. c. 20. 21. act. 14. c. 17. & 17. f. 27.

a Ioh. 3. a. 6 & 8. e. 36. Rom. 8. b. 7. & 7. c. 18. 1. Cor. 4. b. 7. 2. Cor. 3. b. 5. phi. 2. b. 13.

ta, sed penitus corrupta & serua peccati, lubens ac voluntaria. Rectè igitur Augustinus [b], *Per libertatem, inquit, factum est, vt esset homo cum peccato, sed iam pœnalis vitiositas subsecuta ex libertate fecit necessitatem.* Nec minus præclarè alibi testatur [c], liberum arbitrium, ita vt est seruum peccati, non valere nisi ad peccandum, nempe quòd necessariò quidem sed tamen sponte peccet.

b De perfect. iustitiæ.

c Li. 3. ad Bonifaciũ.

XV. Summa doctrinæ de peccato originis.

Itaque peccatum Originis est vniuersalis quædam labes ac corruptela totius humanæ naturæ, ab Adamo in omnes ipsius posteros propagata, quæque in ijs tria peccatorum genera quasi fructus profundit. Horum prima species complectitur omnẽ interiorem motum ac conceptum in intelligentia vel affectibus, etiam si voluntas non consentiat. Vult enim Deus tota intelligentia, tota anima, totoque corde diligi: nos autem anteà ostendimus omnia hæc esse deprauata. Altera peccatorũ species tum incidit, quoties voluntas cũ motibus & affectibus consentit. Tertia verò, quoties re ipsa exequi conamur quod cogitamus ac volumus.

XVI. Quomodo Deus peccato hominis ad gloriam suam vtatur.

Hoc

Hoc vnum ergo ſupererat, vt omnes homines in exitium ruerent [a]. Verùm Dominus, qui non tantùm ſummè iuſtus eſt, ſed etiam ſummè miſericors, pro infinita ſua ſapientia ab æterno decreuerat quo modo omnia hæc mala ad inſignem gloriam nominis ſui conuerteret, id eſt, ad ampliorem declarationem [b], partim infinitæ ſuæ bonitatis in eos, quorum ſalute ab æterno decreuit gloriam ſuam illuſtrare [c]: partim ſummæ ſuæ potentiæ & iræ in iuſta condēnatione vaſorum quæ ſunt ad interitum comparata [d]. Nam præclarè inquit Auguſtinus [e], ſi omnes liberarentur, fore vt abſconditū eſſet quod peccato debetur propter iuſtitiam, ſin autem nemo liberaretur, fore vt non appareret quod per gratiam donatur.

a *Rom.* 3. c. 19.

b *Rom.* 3. c. 12. & 25.

c *Rom.* 8. *f.* 29. & 9. c. 25. *Epheſ.* 1. *a.* 5. & 6.

d *Rom.* 9. c. 22. *Exod.* 9. *d.* 16.

e *Epiſt.* 10. 5. *ad Sixtū*

XVII. Ieſus Chriſtus eſt vnicus Mediator à Deo conſtitutus ac promiſſus.

Modus ille, de quo diximus, vnicus eſt, nempe myſterium incarnationis Filij Dei cum omnibus quæ cohærent cū ipſa ἀνακεφαλαίωσει. Is igitur certis reuelationis gradibus fuit promiſſus iam inde ab Adamo ad Iohannem vſque, & à Prophetis ac Patriarchis annuntiatus [f], atque adeò diuerſis figuris ſub Lege adumbratus, quemadmo-

f *Gen.* 3. c. 15. & 12. *a.* 3. & 18. c. 18. & 20. *d.* 18. *Deut.* 18. *d.* 18. 2. *Sam.* 7. *b.* 12. *Mat.* 11. *b.* 13.

dum ista copiosè descripta in veteris Testamenti libris, vt eorum seculorum homines seruarentur per fidem in Christum Iesum venturum.

Act.13.f.38.& 26.b.6.& 7. Rom.1.a.2. Tota epistola ad Heb.& pluribus alijs locis.

XVIII. Quæ sit conuenientia & quod discrimen veteris & noui Testamenti.

Itaque, si rem ipsam spectemus, vnum semper fuit, & erit fœdus inter Deum & homines, nempe Iesus Christus[a]. Verùm si quis circumstantias consideret, duo sunt fœdera siue Testamenta, quorum tabulas planè authenticas habemus, nempe sacrã Scripturam siue verbum Dei. Vnum igitur Vetus, alterum Nouum appellatur[b], idq; multò melius vetere, in quo videlicet Iesus Christus nonnisi eminus proponebatur vmbris & figuris tectus, quæ ad ipsius Christi tanquam solis aduentum euanuerunt[c].

a *Heb.13.b.8. Rom.3.d.25.1.Ti.1.c.9.1.Co.10.a.2.3.4.& c.11. Ephes.1.b.9.2.Cor.1.d.20.*

b *Ier.31.f.31.& 32. Heb.8.b.6.*

c *Iohan.4.c.23.24.*

XIX. Cur oportuerit Christum esse verum hominem, sed absque peccato.

Oportuit huius fœderis ac reconciliationis Mediatorem esse verum hominẽ, sed nulla vel peccati Originalis, vel altera quapiam labe infectum, sicut ex sequentibus rationibus intelligi potest. Primùm enim quum Deus sit summè iustus, & homo propter corruptionem sit iræ ipsius obnoxius,

d *1.Tim.2.a.5. Iohan.1.b.14. Rom.1.a.3. Gal.4.a.4. Ro,8.a.2. 1.Cor.1.d.30.*

xius, ſicut paulò antè oſtendimus, neceſſe fuit aliquem verè hominem exiſtere, in quo ruina iſta inſtaurata, genus humanum Deo reconciliaretur. Deinde tenetur homo [e] implere omnem illam iuſtitiam quã Deus ab eo requirit gloriæ ſuæ cauſa. Ex quo efficitur oportuiſſe hominem aliquẽ exiſtere qui impleta omni iuſtitia Deo acceptus eſſet. Tertiò [f] vniuerſi homines ſunt infinita omnis generis peccatorum multitudine cooperti, ac proinde Dei maledictioni obnoxij. Oportuit ergo hominem aliquem exiſtere qui prorſus Deo ſatisfaceret, vt ei gratus eſſet. Quartò [a] nullus homo corruptus iſta vel auſpicari, nedum conficere potuiſſet, imò verò proprij Mediatoris opera indiguiſſet, tantum abeſt vt alios potuiſſet Deo conciliare, aut quicquàm Deo iucundum ac gratum efficere. [b] Conſequitur ergo oportuiſſe vt hominũ redẽptor verè homo eſſet, id eſt, verè humano corpore & humana anima prædituſ, ac nihilominus tamen integer & nulla prorſus peccati labe inquinatus.

Heb.1.a. 10.11.
e Mat.3.d. 15.
Rom.5.d. 18.
2.Cor.5.d. 21.
f Rom.3.d. 23.25.26. Act.20.f. 28.& alibi ſæpe.
Eſa.63.b. 11.
a Rom.8.a.2 2.Cor.5.d. 21.
Heb.4.d. 15.
1.Pet.2.d 22.& 3.d. 18.
1.Ioan.2. a.1.
b Rom.14.d. 23.Heb.11. b.6.

XX. Cur Chriſtum oportuerit verè Deum eſſe.

Eundem illum Mediatorem oportuit non tantum hominem, ſed etiam verũ Deum eſſe [c], ob eas ſaltem rationes quas ſub-

c Io.1.b.14. & alibi ſæpiſſime.

ijciemus. Primùm enim nisi verus Deus esset, seruator non esset, vt qui potius seruatore indigeret [d]. Deinde necesse est vt coram iustitia Dei inueniatur proportio inter peccatum & peccati pœnam. Atqui si infinita est Dei maiestas, quæ peccato offenditur, peccatum quoque infinitū est, ac pœnam infinitā meretur. Ex quo efficitur oportuisse, vt is qui pœnam tanquam homo lueret, simul esset infinitus, id est, verus Deus. Tertio, quū ira Dei sit infinita [e], nulla vis tanta fuit siue Angelica siue humana, quæ tanto pōderi par esse potuerit. Oportuit ergo eum non hominem modò, sed etiam verè Deum existere, cui resurgendum fuit, Diabolo, peccato, mundo, morte denique ipsa cum ira Dei cōiuncta, profligatis ac superatis. Deus denique, vt incomprehensibilem illam suam bonitatem patefaceret, noluit duntaxat sua gratia peccatum nostrū æquare, sed longè etiam superare [a]. Itaque Adam quidem ille primus nostrorum malorum author [b] ita fuit conditus ad imaginē Dei, vt nihilominus terrestris esset, sicut ipsius fragilitas re ipsa comprobauit: è contrario verò secundus ille Adam, id est Iesus Christus, per quem liberamur, ita est verus ac perfectus homo,

d *Esa.* 43. *b.* 11. *Ose.* 13. *b.* 4. *Ierem.* 17. *a.* 5.

e *Ioh.* 14. *b.* 10. *&* 12. *e.* 31, *&* 16. *d.* 32, 2. *Cor.* 5. *d.* 19.

a *Rom.* 5. *c.* 15. 18. 19. 20.

b 1. *Cor.* 15. *f.* 45. 47.

vt

vt interea sit dominus è cœlo, id est verus Deus, in quo omnis plenitudo Deitatis corporaliter habitat. Nempe vt si Adam contumacia nos perterrefacit, iustitia Iesu Christi nos multò magis confirmet: & vitam in Iesu Christo acquisitam speremus meliorē ea quam in Adamo perdidimus, tanto, inquam, meliorem, quanto Christus Adamo præstat. c *Esa.7.c.14 Luc.1.c.31, & d.35.e. 55. & g. 70.*

XXI. Quomodo nostræ salutis mysterium fuerit impletum Christo exhibito.

Agnoscimus igitur proprium illum vnicum & æternum Dei patris Filium tempore à Patre constituto, vt ratum esset fœdus illud antiquis Patribus promissum [c], & ore Prophetarum promulgatum [d], formam serui assumpsisse [e], id est, verā hominis naturam omnibus humanis infirmitatibus, excepto peccato, obnoxiam, conceptum in beatæ Mariæ virginis vtero [f] ex Spiritu sancto nulla viri actione interueniente. d *Rom.1.a. 3.* *Ioh.17.a. 5.& 16.d. 28.* e *Phil.2.a. 6.& 7.* *He.4. d.7. 15&5.a* f *Mat.1.d. 18, & 20.* *Luc.1.c. 28.& d. 35.*

XXII. Duæ naturæ diuina & humana, in vnam personam sunt vnitæ, ab ipso conceptionis carnis momento.

Fatemur personam Filij [g], ab ipso momento quo caro ipsius concepta fuit vnitā fuisse humanæ naturæ inseparabiliter, ita vt non sint duo Filij Dei, neç duo Christi, g *Mat.1.d. 18. & 28.* *Luc.1.c. 33.& 21. &d.35.42. 43.*

sed vnus sit propriè Dei Filius Iesus Christus, verus Deus & verus homo, manentibus tamen ac distinctis vtriusque naturæ proprietatibus. Nam diuinitas ab humanitate, vel è contrario humanitas à Diuinitate seiuncta, vel alterutra cum altera confusa nulli nobis vsui esset.

XXIII. Maria virgo est mater Iesu Christi Dei & hominis.

Itaque Iesus Christus [a] verus Deus & verus homo (id est verè humana anima, & humano corpore constans ex virginis Mariæ filiæ Dauidis substantia, idque virtute Spiritus sancti composito) verè conceptus est ac natus ex ea ipsa virgine, virgine, inquã, antè & post partum: eaque omnia propter, nostram salutem impleri oportuit.

XXIIII. Breuis descriptio, quomodo Christus salutem nobis attulerit.

Venit igitur in terras Christus, vt nos in cælum eueheret [b]: pertulit nostrorum peccatorum pœnas à momento conceptionis ad resurrectionem, vt nos ab ijs immunes essemus [c]: perfectè impleuit omnem iustitiam, vt nostram iniustitiã obtegeret [d]: patefecit nobis omnem Patris sui voluntatem & verbis, & vitæ exemplo, vt veram salutis viam nobis commonstraret [e]. Denique

a *Matt. 1. d. 18, 21, & 23. Luc. 1. d. 35.*

b *Eph. 2. b. 6.*

c *Mat. 11. d. 28. 1. Pet. 2. d. 24, & 3. c. 18. Esa. 33 b. 11.*

d *Rom. 5. d. 19. Mat. 3. d. 15.*

e *Io. 15. e. 15. & 20. f. 30. 31. Act. 1. a. 1.*

que vt pleniſſimè ſatisfaceret pro peccatis noſtris, quæ in ſuos humeros recepit [f], vinctus fuit, vt nos ſolueret: damnatus, vt abſolueremur: affectus infinitis contumelijs, vt nos ab omni infamia eximeret: affixus cruci, vt in ea crucifigeret peccata noſtra [g]: mortuus eſt, ſuſtinens maledictionem nobis debitam, vt vnica oblatione ſui ſemel facta, iram Dei in perpetuum pacaret [a]: ſepultus eſt, vt verè mortuum eſſe conſtaret, & mortem vinceret in intimis ipſius penetralibus, id eſt in ſepulchro, in quo nullam ſenſit corruptionem, vt nobis liqueret mortem ipſam ab eo mortuo ſuperatam [b]: reſurrexit victor, vt extincta ſepultaque omni noſtra corruptione, renouemur in nouam, ſpiritualem, ac æternam vitam [c]: & nobis deinceps prima illa mors non ſit peccati pœna, neque ingreſſus in alteram mortem, ſed è contrario ſit mortificationis noſtræ complementum, aditumque nobis ad æternam vitam patefaciat [d]. Denique, poſtquàm reſurrexiſſet, & confirmandæ ſuæ reſurrectionis cauſa per quadraginta dies in hoc mundo eſſet commoratus [e], viſibiliter, ac re ipſa aſcēdit ſupra omnes cælos, vbi ſedit ad dextrā Patris, poſſeſſionem æterni ſui regni noſtra

f *Eſa.53.a.4.& 5.*

g *Col.2.c.14.*

a *Galat.3.b. 13.2.Cor. 5.d.21. Heb.10.b. 10.& c.14*

b *Act.2.d. 24.& e.31*

c *Rom.6.& alibi Paulus infinitis locis. 1.Pet.4.a. 1.2.*

d *Ro.7.g.24. Phil.1.d. 23.*

e *Act.1.a.3. b.9.10.11.*

causa adeptus [f], quorum etiam est vnicus Mediator & Aduocatus [g], gubernans Ecclesiam sancto suo Spiritu, quoad vsque numerus Electorum Patris impleatur [h].

f *Ioan.14.a.2.*

g *2.Tim.2.b 5.Heb.1.a. 5.& 9.f. 24.*

h *Mat.21.d. 20.Ephes. 4.b.10.11. 12.*

XXV. Quomodo Christus sese in cælum subduxerit, tamen nobiscum adhuc versetur

Arbitramur glorificationem attulisse corpori Iesu Christi immortalitatem cum summa gloria coniunctam [i], non autem veri corporis naturam suis dimensionibus circunscriptam ademisse [k]. Itaque Christum dicimus naturam suam humanam siue suum illud verum corpus à nobis verè ac re ipsa abstulisse in cælum, vbi permansurum est donec veniat iudicaturus viuos & mortuos. Verum diuinæ naturæ respectu, & efficaciæ Spiritus sancti, qua nos fimus nō dimidij, sed totius & integri Christi omniumque eius beneficiorum participes [a] (sicut mox dicemus) agnoscimus eum esse, ac semper futurum præsentem cū suis ad consummationē vsque seculi. Hæc enim ipse suis verbis nobis confirmauit. [b] Præclarè igitur Augustinus [c] cum verbo Dei consentiens, monet cauendum nobis esse, ne ita asseramus diuinitatem, vt veritatem corporis negemus: aut putemus consequi, vt quicquid in Deo est, vbique sit

i *Luc.24.f. 39.Ioan. 20 f.25. Act.1.a.3.*

k *Act.1.b.9. & 11.& 3. d.21.*

a *Mat.28.d. 20.Ioan. 16.b.13. Ephes.4.b. 8.& c.12.*

b *Mat.26.a. 11.*

c *August. Epist.57. ad Dardanum.*

sit, quia Deus est vbique.

XXVI. Nullam aliam esse posse veram religionem.

In hoc nostræ redemptionis mysterio quod humano iudicio comprehendi non potest, Deus sese patefecit verum Deum, id est summè iustum & summè misericordem. Summè iustum [d] in eo quod summo iure vltus est omnia nostra peccata in eo qui sese pro nobis vadem interposuerat, id est in Iesu Christo [e]. Deinde quod nos non agnoscit pro suis, nisi coopertos ac indutos eiusdem Iesu Christi innocentia, sanctitate, perfectaque iustitia [f]. Ex aduerso verò sese summè misericordem declarauit, in eo quòd quum toti essemus æternæ damnationis rei, voluit tamen filium suum assumere naturam nostrã, vt in eo inueniret modum pacandæ iustitiæ suæ [g], nobis videlicet eum gratis impartiendo cum omnibus ipsius beneficijs [h], vt sua vnius bonitate ac misericordia fiamus æternæ vitæ participes, Christo per fidem apprehenso, sicut mox à nobis dicetur. Religio igitur omnis, [a] quæ aliud quicquam iræ Dei opponit quàm vnicam innocentiam, iustitiam & satisfactionem Iesu Christi, per fidem apprehensi, Deum spoliat perfecta sua tũ iustitia, tum misericordia: ac proinde falsa est

d *Rom.3.d.25.2.Cor.5.d.21.*

e *1.Tim.2.b.6.1.Pet.2.d.24.*

f *2.Cor.5.d.21.Rom.5.d.19.Col.1.c.22.*

g *Rom.5.b.8 1.Cor.1.d.30.*

h *Rom.8.f.32.*

a *1.Cor.2.a.2.& 3.c.11.Ga.1.b.8*

& ad fallẽdos homines cõparata, ſicut infrà explicabim[9], capite huius libri ſeptimo.

b Gen.1.a.2. c Ioh.14.b. 16.& d. 26.& 16. a.7.& b. 15. d Rom.8.b. 9.& 11. Act.5.a.3. & 4.1.Cor. 12.a.5.6. & 3.c.16. e Mat.28.d 19. f Conſtantinopolitana Synodo prima. g Geneſ.1.a. 2.Pſ.104. d.29.& 30. a Rom.8.b. 9.& c.14. 15.16. 1.Cor.2.c. 11.12.1.Io. 4.c.13. b Eph.1.a.3. & 4.

DE SANCTO SPIRITV.

CAPVT IIII.

Articulus primus, de perſona Spiritus ſancti.

CRedimus in Spiritum ſanctum qui eſt eſſentialis virtus Patris ac Filij, [b] coæterna & conſubſtantialis, in quibus reſidet, & à quibus procedit [c], ita vt ſit vnus Deus cum illis [d], perſona tamen ab vtroque diſtinctus [e], ſicut rectè ex verbo Dei definijt Eccleſia aduerſus Macedonium & alia eiuſmodi monſtra [f].

II. De effectibus qui in Spiritu ſancto propriè conſiderantur.

Eius vis ac efficacia infinita ſeſe exeruit in creatione & conſeruatione omnium creaturarũ iam inde à mundi initio [g], ſed præcipuè in hac tractatione à nobis æſtimabitur ex ijs quæ effecit in filijs Dei, cuius videlicet dona ſecum aduehit, vt eos faciat illorum participes [a], ac, vt paucis dicam, vt eos gradatim ad eũ finem perducat, cui ſunt ante iacta mundi fũdamẽta deſtinati [b].

III. Sanctus Spiritus ſola fide nos facit Chriſti participes.

Itaque

Itaque Spiritus ſanctus is eſt per quem Pater electos ſuos mittit in Ieſu Chriſti Filij ſui poſſeſſionem, & in eodem ipſos conſeruat, ac conſequenter facit eorum omnium compotes, quæ ſunt ad ſalutem neceſſaria. Sed neceſſe eſt in primis vt idē Spiritus ſanctus nos ad Ieſum Chriſtum recipiendum aptos & idoneos reddat. Id autem nobis præſtat quum intra nos creat[c], & gignit pro ſua mera bonitate & miſericordia, id quod Fidem vocamus[d], vnicum illud inſtrumentum videlicet, quo Ieſum Chriſtum oblatum apprehendimus, & vas vnicum ad eum percipiendum comparatū.

[c] *Ephe.1.c.17.Phil.1.d.10.2.Theſ.3.a.2.*

[d] *Ioh.3.b.6.& d.36.*

IIII. Quibus modis vtatur Spiritus ſanctus ad fidem in nobis creandam ac conſeruandam.

Vtitur Spiritus ſanctus duobus ordinarijs medijs tum vt creet, tum etiam vt in dies magis ac magis corroboret inſtrumētum illud quod Fidem vocauimus, ita tamen vt ſuam vim ad ea non transferat, ſed per ea duntaxat operetur: nempe prædicatione verbi Dei, & ſacramentis[e], ſicut ſuo loco oſtendemus. Prius enim explicabimus quid ſit Fides illa tam precioſa, & quænam ſint ipſius effecta.

[e] *Mat.28.d.19.& 20. Act.6.a.4. Ro.10.c.17 Iac.3.c.18. 1.Pet.1.a.23.*

V. Quantopere neceſſaria ſit Fides, & quid ſit.

Nos propter inſitam in nobis corruptio-

a Rom.8.b.7 1.Cor.2.d. 14. nem ita aduersũ nos ipsos coniurauimus, a vt si Deus nos duntaxat admoneret, fore vt salutem nostrã in Christo inueniamus, b 1.Cor.1.c. 23.Iohan. 10.d.20. Act.2. b.13.Luc. 23.e.35. Ioh.3.a.5. & 6.Psal. 51.d.17. c Esa.6.b.5. Ier.1.b.6. d Ps.40.b.7. Ioh.8.d.47 Mat.13.b. 13. e Ioh.1.a.5. & 3.a.3. & 9.g.41. Eph.5.b.8. f Io.12.f.38 & 39.& 6.e.44.Ro. 8.b.7. g Ioh,3.b.16 h Iac.2.d.19 simus eum ludibrio habituri, sicut semper consueuit Mundus b. Quòd si præterea id vnum adderet, nos credendo in Christum Iesum percipere posse fructum vnici illius remedij aduersus mortem æternam comparati, ne id quidem nos iuuaret. Nam, quantum ad hæc attinet, dici non potest, quantopere simus muti c, surdi d, & cæci naturæ ipsius vitio e: nec minùs difficile nobis fuerit velle credere, quàm difficile fuerit cadaueri volare f. Hîc igitur necesse est vt præter illa omnia bonus ille Pater cælestis qui nos ad gloriam suam elegit, duplici gratia erga suos hostes vtatur: & quum nobis annuntiat, se ita dilexisse mundum, vt pro eo vnigenitum suum Filium dederit ea conditione, vt quisquis in eum credit, non pereat, sed habeat vitam æternam, g pariter in nobis creet fidem illã quã à nobis flagitat. Fides autem, de qua loquimur, non ea est qua duntaxat credimus Deũ esse Deũ, & verũ esse ipsius verbũ (habent enim ipsi quoque Diaboli hanc fidẽ, & eo magis tremũt h) sed fidem appellamus certã quandam scientiam, quam Spiritus sanctus sua

vna

vna gratia ac bonitate magis ac magis insculpit cordibus Electorũ, qua scientia fit, vt eorum vnusquisque in corde suo certior factus suæ electionis, sibiipsi applicet promissionẽ salutis in Iesu Christo [i]. Fides inquam, non tantùm credit Iesum mortuum fuisse ac resurrexisse pro peccatoribus [a], sed etiam amplectitur Iesum Christum, in quo vno confidit qui verè credit, & ita cert⁹ est suæ salutis, vt, quoad eius fieri potest, de ea nihil dubitet [b]. Rectè igitur Bernardus cũ verbo Dei prorsus cõsentiens [c], Si credis, inquit, peccata tua non posse deleri nisi ab eo cui soli peccasti, & in quem peccatum non cadit, bene facis: sed adde adhuc, vt & hoc credas quia per ipsum tibi peccata condonantur. Hoc est testimonium quod perhibet in corde nostro Spiritus sanctus, dicens dimissa sunt tibi peccata tua.

i 1. *Cor.* 2. *c.* 13. *&* *d.* 16. *Ro.* 8 *g.* 38.

a *Ro.* 8. *c.* 16. *Heb.* 10. *d.* 22. *&* 23. 1. *Io.* 4. *c.* 13. *&* 19.

b *Eph.* 3. *c.* 12

c Sermone primo de Annonciatione.

VI. Quod sit veræ Fidei obiectũ, & quæ eius efficacia.

Quum Christus sit fidei scopus, Christ⁹, inquam, qualis in verbo Dei nobis proponitur, duo consequũtur magnopere digna, quæ ab omnibus obseruentur. Vnum [d], vbicunque nullum Dei verbum extat, sed humana dũtaxat authoritas, ibi nullũ esse fidei locũ, sed somnijs & opinionibus quæ

d *Ro.* 10. *b.* 8. *&c.* 17. *Mat.* 16. *c.* 15. *&* 16. *Ro.* 1. *b.* 16. 1. *Pet.* 1. *d.* 25. *Gal.* 1. *b.* 8. 9.

nos non possunt non decipere. Alterũ [e], fidem amplecti, ac sibi vt proprium asserere Iesum Christum & quicquid ei ineſt, quoniam videlicet nobis possidendus offertur, cum hac conditione, si credamus in eum. [f] Itaque duorum alterum necessarium est, nempe, vt vel non insit Christo quicquid ad salutem nostram requiritur, aut, si omnia in eo insũt, is omnia possideat qui Christũ per fidem possidet. Atqui prius illud nemo sine insigni blasphemia dixerit, quoniam consequeretur Christũ non esse Iesũ, id est seruatorem, nisi aliqua ex parte [g]. Efficitur ergo posterius verum esse, nempe vt qui Christum obtinet per fidem, omnia in eo obtineat, quæ ad salutem possunt desiderari [a], sicut significat Apostolus quum testatur nullam esse condemnationem ijs qui sunt in Christo Iesu [b].

e Io.17.d.20 & 21.Ro. 8.b.9.& 11.1.Cor.1. d.30.

f Io.1.b.12. & 3.b.15.

b Ma. 1.d. 21.Ro.8.a.1

a Rom.5.a.1.

b Rom.8.a.1.

c Rom.3.c. 21.24.& d.27.& 4. a.3.& 9.g. 30.31.32. & 11.a,6. Gal.2.c.16. & d.21.& 3.b.9.10. & c.18.& 15.a.4. Phil3.b.9. 2.Ti.1.c.9. Ti.3.a.5. Heb.11.b. 7.

VII. Quomodo accipiendum sit quod ex Paulo affirmamus nos sola fide iustificari.

Ratio, qua nititur superior conclusio, hæc est, quoniam Fides est instrumentum quod Christum recipit, ac proinde iustitiam eius, id est plenissimam perfectionem. Quum igitur ex Paulo [c] affirmamus nos fide sola, siue gratis, siue fide, siue sine operibus iustificari (sunt enim hæc synonima) non

non est hoc dictum perinde accipiendum ac si diceremus, Fidem esse quandam virtutem quæ nos in nobis coram Deo iustificet. Id enim esset fidem substituere in locū Iesu Christi, qui vnus est nostra perfecta & integra iustitia. Verùm ita loquimur cum Apostolo, & fide sola nos iustificari dicimus, eò quòd amplectitur eū qui nos iustificat, nempe Iesum Christum, quicum nos vnit ac copulat, vt simus & ipsius & omniū eius bonorum participes, quæ quidem nobis imputata, prorsus sufficiunt ad hoc vt coram Deo absoluamur, & pro iustis censeamur.

VIII. Certum esse suæ salutis per Christum fide apprehensum, nihil minus esse quam arrogantiam.

Ex hoc efficitur non modò non esse arrogantis hominis nihil dubitare de sua salute,[d] sed etiam è contrario sola hac ratione homines omnem arrogantiam deponere, vt omnem gloriam Deo tribuant. Fides enim vna nos docet quasi ex nobis migrare, ac planè cogit nos agnoscere, nihil in nobis inesse præter dānationis caussas & argumentum: ideoque nos ad vnum Christum ablegat, per cuius solam iustitiā nos certiores facit salutis à Deo obtinēdæ, quoniam videlicet quicquid Iesu Christo inest

d
Ro.3.d.27. & 4.d.19, & 8.c.16, & 9.38. Ephe.3.c. 12. He.10.d. 22.23. 1.Io.4.c. 13, & 5.d. 19, 1.Cor.4.a. 4.& 9.d. 26.Tit.3. a.6.

(ineſt autẽ ſumma & abſolutiſſima iuſtitiæ perfectio, tũ quia peccatum in eo nullũ ineſt, tum etiam quoniam omnem legis iuſtitiam impleuit) nobis imputatur, perinde ac ſi propriè noſtrum eſſet, ſi modò per fidem ipſum amplectamur. Ideò pulchrè Bernardus[a], *Gloria*, inquit, *noſtra hæc eſt, non quidem tale teſtimonium, quale ſuperbus ille Phariſæus habebat ſeducta & ſeductrice cogitatione teſtimonium perhibens de ſemetipſo, & teſtimonium eius verum non erat: ſed quũ Spiritus teſtimoniũ perhibet ſpiritui noſtro.*

a Bernardus primo ſermone de Anũciatione.

IX. Fidem inuenire in vno Chriſto quicquid ad ſalutem requiritur.

Dignum autẽ eſt hoc argumẽtum quod ſigillatim explicetur, vt ſciamus an perfidẽ apprehendatur ſatis idoneum remedium quo freti poſſimus vitam æternã certò ſperare, quemadmodum ſcriptum eſt, Iuſtum ex fide ſua victurũ[b]. Dico igitur quicquid impedit hominẽ, quominus illi cum Deo conueniat, ad tria capita poſſe reuocari, quibus totidem parata remedia nanciſcimur non in nobis ipſis, ſed in vno Ieſu Chriſto, ita tamẽ vt nihil magis propriè ſit noſtrum quàm Chriſtus, & quicquid Chriſti eſt[c], ſi modò per fidẽ cum eo vniti ac coniuncti ſocietatem vnà coiuimus. Hæc enim cauſa eſt cur Eccleſia, id eſt fidelium cœtus vocetur

b *Aba.3.a.4. Ro.1.b.16, & 17. Gal 3.b.17.*

c *Io.17.b. 10,11.& d. 20,21.22. 25.26.*

vocetur ſponſa Chriſti, cui tanquam marito nupſit [d], nempe vt meliùs appareat arctiſſima illa ſocietas ac coniunctio quæ inter eum & fideles intercedit. Nã huius ſocietatis ac ſpiritualis coniugij ea lex eſt, vt omnes noſtras miſerias in ſe recipiat, nos autem è cõtrario omnes bonorum theſauros ex bonitate ac miſericordia ipſius percipiamus, ſicut ex ijs quæ ſubijciam intelligi facilè poterit.

d *Ro.7.a.4. & 8.f.32. 2.Cor.11.a. 2.Eph.5.g. 32.*

X. De primæ tentationis primo inſultu, in quo nobis innumerabilia peccata noſtra proponũtur: & vnico remedio quod in vno Ieſu Chriſto aduerſus hũc inſultum per fidem inuenitur.

Nunc igitur propius conſideremus an in vno Ieſu Chriſto poſſimus certa remedia nanciſci aduerſus omnes Satanæ, & conſcientiæ noſtræ inſultus. Primùm omnium Satan & conſcientia noſtra, vt nos penitus indignos eſſe probent, qui ſeruemur, digniſſimos autem qui pereamus, nobis ob oculos ponunt Dei naturam ſummè iuſti, & omniũ ſcelerum capitalis hoſtis ac vindicis. Quod quũ ita ſit, & ſatis conſtet nos infinitis ſceleribus eſſe coopertos, quid aliud nobis meritò expectãdum quàm peccati ſtipẽdium, id eſt, Mors æterna [a]? Quid autem poterunt miſeri mortales aduerſus

a *Ro.5.b.12. & 6.d.23.*

hanc Satanæ & conſcientiæ ſuæ concluſionem opponere? Nihil profectò quod vllius ſit momenti, præter id vnum quod mox dicam. Nam primum omnium ſi præterita Dei iuſtitia ad eius miſericordiam confugerint ſeipſos decipiũt. Certiſſimum enim eſt Deum ita eſſe miſericordem, vt interea ſummã ipſius iuſtitiam oporteat nos profiteri, qua de re diximus paulò antè, id eſt articulo, xxvi. tertij capitis.

Sin autem tegendis noſtris peccatis libeat ad Sanctorum merita (quæ vocant) confugere, primum omnium magnam eis iniuriã facimus. Dauid enim clamat[a], Ne intres in iudicium cum ſeruo tuo: & alibi confitetur opera ſua ad Deum vſque non pertingere[b]. Paulus verò qui commemorat de Abrahamo illo fideli, atque adeò fidelium Patre[c]? Si Abraham, inquit, ex operibus iuſtificatus fuit, habet de quo glorietur, at non apud Deum. Quid enim dicit Scriptura? Credidit Abraham Deo, & imputatum eſt ei ad iuſtitiam. Imò, quid de ſe ipſo refert Paulus[d]? Sanè, inquit, nullius mihi ſum conſcius, ſed non in eo iuſtificatus ſum. Quomodo igitur poterimus pro noſtrorum peccatorum ſatisfactione proferre vlla Sanctorum merita, quum ipſimet Sancti

a Pſa. 143. a. 2.

b Pſa. 16. a. 2.

c Ro. 4. a. 2, & 3.

d 1. Co. 4. a. 4.

Sancti non aliò cõfugerint quàm ad vnam misericordiam Dei per Christum reconciliati [c]? * Præterea etiam si Sancti suis meritis vitam æternam essent adepti (quod tamen falsum esse ex eorum scriptis constat) nónne iam persoluta esset ipsis meritorum merces? Quo iure igitur iterum illa coram Deo proferamus? * Nam si quis excipiat, tãtum illos habuisse meritorum, vt aliquid etiam supersit, quod alij possint mutuari, nónne id perinde est ac si vniuersam Scripturam falsi accusaret? Imò nónne id perinde est ac si dicat, Sanctos illos morte Christi nihil indiguisse, quũ satis superque meritorum in sese habuerint? * Sed agè etiam si daremus, quod petunt aduersarij, Sanctorum merita superabundasse, quo tamen iure existimabimus illa ad nos pertinere? An quia nos ita esse somniamus, aut quoniam pecunijs illa redemimus, Atqui satis costat quàm acerbè Petrus Simonem illum Magum spiritualia mercantem reprehenderit [a]: Pecunia, inquit, tua tecum pereat, qui existimaris Dei Dona pecunijs comparari.

[c] *Phi.* 3. *b.* 8 9.

* Secunda ratio.

* Tertia ratio.

* Quarta ratio.

[a] *Act.* 8. *d.* 10.

En quomodo Sanctos eo ipso afficimus contumelia, quo maximè volumus eos colere. Quòd si nullus hic locus est Sancto-

rum operibus, quid tandem aut in nobis, aut in quoquam alio comperiemus, quo aduersus illum Satanæ insultum satis simus instructi? Sed vt semel istis falsis imaginationibus occurratur, agè sequentes rationes expendamus.

Primò, nónnepenitus insanum eum esse iudicaremus, qui obrutus ære alieno, propterea se nihil creditoribus debere seriò cõtenderet, quòd somniasset vel sese, vel aliũ quẽpiam suo nomine illis satisfeciſſe? Atqui non aliter agimus cum Deo, quoties in vnius Christi satisfactione non acquiescimus. Cetera enim omnia quo tandem fundamento nituntur, quídue sunt aliud, quàm vana hominum somnia, quasi Deo arrideat quicquid nobis lubet? Nos igitur è contrario audiamus, quid Filius Dei ore suo pronuntiet [b]. Frustrà, inquit, me colunt, obseruantes hominum mandata. Et alibi [c]: Quum, inquit, apparetis coram me, ecquis ista requisijt ex manibus vestris?

b *Mar.7.a.7.*

c *Esa.1.c.12.*

Secundò, quum dicimus nos in vna Dei misericordia confidere, & nihilominus arbitramur nos illi vel penitus, vel aliqua saltem ex parte satisfeciſſe, an non tantum ipsius misericordiæ derogamus, quantum ipsi nobis arrogamus? [d]

d *Ro.4.a.4.*

Tertiò,

Tertiò, quisquis in vno Christi merito non acquiescit, & aliud quodpiam cum eo coniungit, an non perinde facit, ac si apertè clamaret Christum non esse Iesum, id est seruatorem, nisi aliqua ex parte[a]?

Quartò, quoties eò impudentiæ deuenimus vt audeamus iræ omnipotentis Dei opponere hominum opera, in quibus tantum inest labis, etiã si excellentissima quæque sumas[b], an non hoc est Deũ sua perfecta iustitia, ac proinde sua quoque Diuinitate, quantum in nobis est, spoliare[c]? Ideò clamabat Dauid, Ne intres in iudiciũ cum Seruo tuo[d]. Discamus igitur ad Satanæ argumentum alio prorsus modo respondere, isto videlicet: Tu hoc principium sumis, Satan, Deũ esse summè iustũ & omnium scelerum vltorem. Hoc ego ita esse concedo: sed aliud quiddam adijcio, quod & ipsum iustitiæ conuenit, & à te est prætermissum, nempe, quum Deus sit summè iustus, non ferre iustitiam ipsius, vt vnum idemq; debitum bis sibi persolui velit. Deinde, illud quoque minimè inficior quod assumpsisti, me nimirũ infinitis peccatis totũ scatere, quibus mors æterna debeatur. Sed hic rursum adijcio quod malitioſè præterijsti, Deũ videlicet omnes me-

a *Ga.2.d.21.*

b *Lu.17.c. 20.*

c *Ro.3.d.26.*

d *Psa.143.a. 2.*

as iniquitates ſeueriſſimè & ſummo iure vltum eſſe in Ieſu Chriſto, qui meo nomine ſeſe puniendum Patri exhibuit[e]. Itaque concluſionem colligo tuæ prorſus cõtrariam, Quando quidem Deus iuſtus eſt[f], neq; bis idem debitũ vult ſibi perſolui: & Chriſtus Ieſus Deus & homo[g] infinitæ Dei maieſtati infinita ſua obedientia [a]ſatisfecit[b], ex his poſitis conſequi, fieri iam non poſſe vt iniquitates meæ animum meum concutiant, vt pote quæ ſint penitus deletæ & expunctæ Chriſti ſanguine, vt in rationem coram Deo nunquam veniãt[c]. Eſt enim Chriſtus pro me factus execratio, [d]mortuus iuſtus pro iniuſtis[e]. Hic verò non dubium eſt quin Satã nobis ob oculos ponat varias afflictiones, & mortem ipſam ob oculos[f], quaſi ſint totidem teſtimonia, Deum nobis peccata noſtra non condonaſſe. Sed duo ſunt quæ reſpondeamus. Vnum, quanuis afflictiones omnes, & mors ipſa per peccatum introierint in mundum, Deum tamẽ non ſemper eò reſpicere quoties nos affligit, ſicut liquere poteſt in hiſtoria Iobi, & aliorum multorum[g].

e Ro.3.d.25. 1.Pet.2.d. 24.
f Ro.3.d.26.
g 2.Cor.5.d. 19.
a Ro.5.d.19. Ph.2.a.5.
b Rom.8.c.1. & f.33.
c Col.2.c.14.
d Gal.3.b.13
e 2.Pe.1.d. 24.
f Ro.5.b.12. Eph.5.b.6.
g Ioh.9.a.3. 1.Pet.2.d. 19.& 3.c. 14. Iac.1.a. 2.3.4.

Habet enim Deus varias ac multiplices cauſas, quibus gloriæ ſuæ conſulit, & ſuorũ ſaluti, vt dicemus vltimo articulo quarti huius

huius capitis. Alterum est, Deum ne tum quidem quum suos affligit propter ipsorũ peccata, & eos mortis doloribus inuoluit, [h] aduersus illos succensere, tanquam iudicẽ ad eos damnandos paratum, sed vt patrem clementissimum, qui filios suos castiget, ne pereant, [i] vtque exemplo in vnum quẽpiam edito multos ad frugem reuocet [k].

XI. De remedio, quod vna fides in vno Christo nanciscitur aduersus alterum eiusdem tentationis insultum, positum in eo, quòd nusquam in nobis extat iustitia illa, quam deus meritò à nobis requirit.

Secundus insultus, quo nos Satan adoritur, argumento à nostra indignitate sumpto, est eiusmodi: Non satis est non peccasse, vel pro suis peccatis per alium satisfeciisse: sed præterea requiritur perfecta legis præstatio, id est, vt Deum & proximum perfectè dilexerimus [a]. Affer igitur, obijciet Satan miseris nostris conscientijs, iustitiam istam, aut agnosce te non posse iram, ac maledictionem Dei effugere. Cæterùm aduersus hunc insultum quod tandem præsidium in vllis hominibus inueniemus, vno Christo excepto? Requiritur enim hîc perfecta obedientia, quam quidem nemo vnquam homo, præter Christum Iesum præstitit. Hîc igitur rursum discamus nobis per

h *Ioh.13.c.15.*
i *2.Cor,6.b. 9.Heb.12. b.6.2.Sa.7. b.14.*
k *2.Sa.12.d. 13.14.*
a *Deut.27. d.5.Gal.3. b.10.& 12. Rom.1.c.14 15.16.*

fidem applicare alterum hunc Christi thesaurum, id est ipsius iustitiam. Scimus enim hunc vnum esse qui omnem iustitiam impleuit [b], quoniam & Patrem perfectissimè dilexit ac reueritus est, & hostes suos adeò perfectè amauit [c], vt sustinuerit etiam maledictio pro eis fieri [d], id est iram Dei sustinere [e], vt hac ipsius perfecta & omnibus numeris absolutissima iustitia induti, vtpote quæ per fidem nobis imputetur [f], Deo accepti simus [g], vt Christi fratres ac cohæredes. Hic verò prorsus necesse est, vt, quãtum quidem ad hunc insultum attinet, Satan penitus obmutescat [h], si modò fidem illam habemus quæ nobis Iesum Christum cum omnibus ipsius thesauris applicat.

b *Mat.3.b.15.Phi.2.a.8.Esa.53.b.11.*

c *Rom.5.b.9 & 10.*

d *Gal.3.b.3.*

e *Col.1.c.22. 1.Cor.5.d.21.*

f *Eph.1.b.8.*

g *Io.2.b.12. & 20.d.17*

h *Ro.8.f.33.*

XII. De tertio eiusdem tentationis insultu, quod natura simus corrupti, ac proinde Deo exosi.

Supereſt Satanæ in hac tentatione quidam præterea insultus ex nostra indignitate sumptus. Nam, obijciet Satan, etiam si in Christo Iesu satisfeciſti pœnæ quã peccata tua merebantur, & eiusdem iustitiam induiſti per Fidem, nihilominus tamen diffiteri non potes, quin sis natura deprauata, adeó vt omnis vitij semen tibi sit insitum. [a] Qua fronte igitur audebis comparere coram Dei maiestate, capitali omnium

a *Ro.7.c.17.18.& d.25.*

sordium

sordiũ hoste[b], & ipsorum etiam cordium scrutatore[c]? Nos verò aduersus hunc insultum nusquã alibi, quàm in vno Iesu Christo promptum remedium inueniemus, in quo possimus acquiescere.

Est autem eiusmodi responsum, quod nobis Christus in hac tentatione suppeditat: Nos quidem incluſos adhuc teneri corpore isto mortali[d] quo fit, vt non faciamus bonum quod volumus, & adhuc sentiamus peccatum in nobis habitans[e], & carnem aduersus spiritum decertantem[f], adeò, vt & corpore, & animo aliquatenus in illo vetere luto hæreamus[g]. Verùm quoniam per fidem sumus Christo vniti[h], & incorporati[i], & in eodem radicati[k], & insiti,[l] in quo natura nostra à primo momento, quo conceptus est in Mariæ virginis vtero multò fuit pleniore sanctificatione instaurata[m], quàm olim quum in Adamo pura conderetur, (fuit enim Adamus duntaxat conditus ad imaginem Dei[n], Christus autem verus Deus carnem nostram assumpsit ex Spiritu sancto conceptam[o],) idcirco sanctificatio ista naturæ humanæ in Christo nobis per fidem imputata, effecit vt reliquiæ corruptionis illius quæ in nobis etiam regeneratis insident, in rationem

b *Ioh.4.d.18 Psa.7.a.5.*
c *Psa.44.d. 22.Ier.17. b.10.*
d *Ro.7.c.17.*
e *Ro.7.d.21. & 23.*
f *Gal.5.c.17*
g *Ro.7.d.18.*
h *Phi.3.b.9.*
i *1.Cor.6.d. 17.*
k *Eph.4.d.16 Col.2.b.19.*
l *Col.2.b.7.*
m *Rom.6.a.5*
n *Heb.2.e.11 Ro.5.e.15. Ge.1.d.20 2.Cor.15. 47.*
o *Mat.1.d. 20. Lu.1.d.35.*

non veniant coram Deo [p], propterea quòd Christi sanctimonia absorbentur ac sepeliuntur: Christi, inquam, cuius robur ad nos sanctificandos coram Deo, infinitis partibus superat corruptionis vires ad nos polluendos.

p Ro.8.1.2.3

XIII. De remedio aduersus secundam tentationem, in qua quæritur, an fidem habeamus.

Ad ea, de quibus diximus, excipiet Satan, Christi mortem non prodesse omnibus peccatoribus, quum innumerabiles pereant. Nos verò vicissim regeremus, solos quidem fideles Christi passionis ac sanctificationis esse participes, sed tantùm abesse vt propterea despondeamus animum, vt è contrario nulla res æquè nos consoletur, [a] quoniam scimus fidem intra nos esse, fidem, inquam, illam qua non modò in genere & confusè credimus Iesum venisse, vt mundi peccata tolleret: sed nobis ipsis sigillatim Christum applicamus, adeò vt vnusquisque nostrum ita apud se ratiocinetur. Ego sum in Iesu Christo, ideoque non possum perire [b].

a Ro.8,c,15. 1.Cor.2.c. 12.& d.16 1.Ioh.4.c. 13.

b Rom.8.a.1. & g.38. 1.Cor.2.d. 6.1.Ioh.5. d.19.& 20.

Hîc verò, vt possimus certum fundamẽtum substernere superioribus victorijs, & alteram istam tentationem fortiter superare, quæretur, Fidem habeamus nécne, quæ contro-

controuersia non aliter potest à nobis explicari, quàm si ab effectis ad efficientem causam ascendamus. Sunt ergo Christi à nobis per fidem apprehẽsi, & intra nos habitãtis, effecta duplicia. Primùm enim Spiritus sanctus testimoniũ reddit spiritui nostro nos esse filios Dei, adeò vt intrepidè clamemus Abba Pater[c]. Deinde hoc quoque constituendũ est, quando nobis Christum per fidem applicamus, id non fieri vana quadã & inani opinione siue imaginatione: sed re ipsa & planè efficaciter,[a] quãuis totum hoc mysterium sit spirituale, adeò vt quemadmodũ anima physico modo corpori adiuncta effectus suos edit, ita Christus Iesus per fidem intra nos habitãs spirituali modo ac virtute, vires suas in nobis exerat, quæ quidem in sacris literis intelliguntur Regenerationis & sanctificationis nomine[b], quoniã per illas noui prorsus homines euadimus, quod ad qualitates attinet. Sunt autem huius regenerationis, id est nouæ originis ac cõditionis tres partes. Quemadmodum enim[c] natiua illa corruptio nos penitus & corpore & anima captiuos retinens, edebat in nobis peccata, & mortem: ita etiam ex aduerso virtus Iesu Christi sese nobis efficaciter insinuans,

c *Rom.8.c.16.1.Cor.2 c.10.11.12.Gal.4.a.6.*

a *Rom.6 a.2.3.4.5.6.8. & b.9.& c.14.1.Io.2.c.6.& 2.a.5.& 3.b.7.*

b *Io.3.a.5. Eph.4.e.22.f.23.24.*

c *Rom.7.a.1.2.3.4.5.6.*

& nos sibi liberali, quod aiunt, causa manu asserens, tria in nobis efficit, nempe Mortificationem peccati, id est natiuæ illius labis, quæ vetus homo dicitur: Sepulturam eiusdem: & noui hominis Resurrectionem: sicut ista copiosè in primis à Paulo explicantur [d].

d *Rom.6.& alibi passim.*

Est igitur Mortificatio corruptionis siue peccati, effectum Christi in nobis, quo fit, vt ea sensim in nobis perimatur & extinguatur, adeò vt non sit ita efficax ad ciendas prauas motiones, consensiones, & actiones Dei voluntati contrarias. Eiusdem veteris hominis sepultura [e], alterum est Christi opus intra nos, cuius videlicet virtute vetus ille homo accepto lethali vulnere, paulatim euanescit. Denique quemadmodum sepultura corporum nostrorũ est quidam mortis progressus, ita veteris nostri hominis sepultura est quædam continuatio ac progressio mortificationis illius cuius antè meminimus. Ad eam rem autẽ mirificè nos iuuant afflictiones, quibus dicitur Dominus nos respicere [a], itemque exercitationes illæ tum spirituales tum etiam corporales, quibus nos assiduè vti oportet vt rebellantem carnem opprimamus [b]. Denique mors prima quod ad fide-

e *Rom.6.a.4 Col.2.b.12. & 3.a.3.5*

a *2.Cor.4.d. 16.*

b *1.Cor.9.d. 27.Gal.5. e.17.*

les

les attinet, complementũ eſt iſtius mortificationis ac ſepulturæ peccati, quatenus certamen carnis & ſpiritus dirimit[c]. c Ph.3.d.23

Reſurrectio noui hominis, ſiue hominis, quod ad qualitates facultatum attinet, prorſus renouati, tertiũ eſt effectum Chriſti intra nos viuentis, qui, corruptione naturæ noſtræ perempta, nouum nobis robur inſpirat, adeò vt intelligentia noſtra[d], & facultas illa ingenij, qua de rebus perceptis iudicamus, gratia Spiritus ſancti illuſtratæ, & à noua iſta virtute Chriſti gubernatæ[e], incipiant intelligere & probare, quod anteà pro ſtultitia[f] & abominatione ducebant[g]. Deinde voluntas noſtra eodẽ robore corrigitur ac confirmatur, vt peccatum fugere incipiat, & iuſtitiam amplecti[h]. Denique vniuerſæ facultates hominis vitare quod vetuit Dominus, & quicquid præcepit ſectari incipiunt[i]. d Eph.1.d.18 e Ro.8.e.14. f 1.Cor.2.d.14. g Ro.8.b.7. h Rom.6.b.6 & 8.c.11. i Rom.7.d. 22.Ph.2. b.13.

Itaque, vt ad rem redeamus, ſi duplex hoc effectum in nobis ſentiamus, neceſſariò colligitur nos fidem habere, ac proinde etiam Ieſum Chriſtum ad vitam æternam, ſicut antea diximus. Nihil ergo nobis æquè curandum eſt, atque hæc duo: nempe vt iugi & aſſidua inuocatione foueam[9] pretioſum illud teſtimonium, quod reddit

Dominus ſpiritibus noſtris [a], deinde vt quotidiano quaſi bonorum operum vſu pro ſe quiſque, ſecundum vocationem ſuam, in regenerationis dono proficiat. Huc reſpexit Ioannes, [b] quum diceret eum, qui natus eſt ex Deo non peccare, id eſt, ſe-ipſum non dedere peccato, ſed illi magis ac magis obſiſtere, vt ſeſe electionis ac vocationis ſuæ quotidie magis ac magis reddat certiorem [c]. Omnino enim ad fructus veniendum eſt vt de arbore iudicium fiat. Quiſquis verò, vt modò diximus, à ſeruitute peccati manumiſſus eſt [d], id eſt ab illa Originali labe, incipit eos fructus edere, quos Bona opera vocamus: & hæc cauſa eſt, cur optimo iure dicamus, Fidem, de qua nunc agimus, neceſſariò coniunctam eſſe cum bonis operibus [e], quemadmodum lux cum ſole, & calor cum igne cohæret.

a *Rom. 12. c. 12. 16. 26.*

b *1. Ioh. 5. d. 18.*

c *1. Pet. 1. b. 10.*

d *Io. 8. c. 36. Ro. 6. c. 16. 17. 18. d. 20. 21. 22.*

e *Ioh. 2. b. 9. & 4. b. 8. & 3. b. 7. Iac. 2. d. 24*

XIIII. *Impudentem eſſe calumniam eorum, qui dicunt bona opera à nobis reprehendi.*

Boni igitur illi viri nimium ſanè impudenter nos calumniantur, qui dictitant bona opera à nobis reprehendi, propterea quòd affirmamus nos nulla re alia iuſtificari, quàm per Chriſtũ ſola fide apprehenſum. Interim verò nõ diſſimulamus nos, vt

Deo

Deo ſuam gloriam inſolidum vindicemus, tribus maximè in rebus ab eis diſſentire in hoc bonorum operum argumento, quum alioquin tãtum abſimus ab eo, vt dicamus Chriſtianos non decere ſanctam & honeſtam vitam, vt è contrario affirmemus eos turpiter mentiri, qui quum ſeſe Chriſtianos vocent, nihilominus tamen nec veras virtutes ſectantur, nec vitia fugiunt à Deo dãnata. Hæc autem ſunt in quibus nos ab iſtis diſſentire vltrò & apertè profitemur.

XV. Prima controuerſia in argumento bonorum operum. Quænam ſint pro bonis, & quæ pro malis habenda.

Primùm ab eis diſſidemus in bonorum & malorum operum diſtinctione coram Deo. Nam, quod ad nos quidem attinet, in vna Dei volũtate prorſus acquieſcimus, tã quam certiſſima regula eorũ, quæ vel probat vel improbat: neque aliam vllam diuinæ voluntatis declarationem requirimus, quàm ſacroſanctã ipſius Legem [a], cui vel adijcere, vel detrahere quippiam nefas putamus [b]. Itaque inter bonà opera coram Deo nihil recenſemus eorum quæ nuda hominum volutate nituntur, qualeſcunque ſint ipſi [c]. Affirmamus præterea vt aliquis dici poſſit bene egiſſe, non ſufficere ſi quod

a *Pſal.* 119. 104. *Deut.* 18. *a.* 5. *Deu.* 30. *c.* 12. 13. 14. 15. *& d.* 19.

b *Deu.* 4. *a.* 2 *&* 12. *d.* 32.

c *Eſa.* 1. *c.* 12. *Mat.* 15. *a.* 9. *Col.* 2. *d.* 23.

egit, in verbo Dei mandatum inueniatur, ſed hoc etiam requiri., vt opus illud agendo quod à Deo præſcriptum eſt, voluntatem ipſius nobis in agendo proponamus, & certi ſimus ex eius verbo in animis noſtris, illud quod agimus Deo placere. Nam vt inquit Paulus, quicquid ſine fide fit, id eſt, quicquid à nobis ſuſcipitur dubitante conſcientia an Deo placeat, ac proinde, à Deo ſit præceptum nécne, peccatum eſt.

XVI. Que ſint opera omniũ excellentiſſima, & quæ precum ſit præſtantia.

Itaque, hoc poſito fundamẽto, dicimus Legem, quam decem mandata nuncupamus, diſtinctam eſſe in duas tabulas: quarum vna declarat quid Deo, altera quid proximo debeamus: ac proinde duas eſſe bonorum operum ſpecies. Nam vna propriè cultum Dei, altera proximum reſpicit. Sunt autem illa tanto iſtis præſtantiora, quanto Deus hominibus præſtat. Sed inter omnes fructus quos Fides vniuerſaliter in omnibus verè Chriſtianis hominibus edit, principatum noſtro iudicio facilè tenent preces, id eſt, inuocatio nominis Dei per Ieſum Chriſtum: neque vllum opus ei gratius eſſe arbitramur, ſiue quid ab eo poſtulemus, ſiue laudes eius canamus, ſiue gratias

tias ei agamus pro acceptis beneficijs. Sed in precib⁹ iſta requirimus quæ ſubiecimus.

Primùm vt proficiſcantur ab eo animo, qui non dubitet ſe exauditum iri, quatenus expedit. Nam, vt inquit Iacobus [a], rogandus eſt Deus cũ fiducia abſq; hæſitatione. Nam qui hæſitat ſimilis eſt fluctui maris à vento agitato, & cum impetu impulſo. Nequis igitur eiuſmodi homo exiſtimet ſe quicquã à Deo accepturũ. Ex hoc autẽ aliud cõſequitur, nẽpe inutiles eſſe preces quęcunque cum verbo Dei non conſentiunt. Preces enim abſq; fide nihil aliud ſunt quã peccata [b], nec ibi fides vlla eſſe poteſt, ſed ſunt vana duntaxat & ſtulta quædam opinatio, vbi nullum Dei verbum ac præceptum extat [c] ſicut paulò antè probauimus. Quæcunque igitur preces ab aliquo concipiũtur eo idiomate quod ipſe non intelligat, pro Dei ludibrio ſunt habendæ: quibus verò quippiam poſtulamus Dei naturæ ac voluntati repugnans, cum Dei blaſphemia ſunt coniunctæ, tantũ abeſt vt ſint opus Deo acceptum.

[a] *Iac. 1.a.6. 7.8. Ro.10. c.14. Mat. 21.d.22. He.4.d.16. & 10.d.21. Mar.11.c. 24.*

[b] *Rom.14.d. 23.*

[c] *Ro.10.c.14.*

Præterea ex ijs quæ diximus conſequitur, preces quæ ad aliũ deprecatorem ſiue Mediatorem referuntur, quam ad vnicum illum inter Deum & homines conſtitu-

tum, Christum Iesum videlicet in extremũ Dei & sanctorum eius dedecus redundare. Primùm enim nullus apex in sacris literis inuenietur qui morẽ istum confirmet, imò verò expressè edicitur Dei verbo, vt quicquid à Deo petimus, in Christi vnici nostri Mediatoris nomine petamus. Præterea si quærendus est intercessor qui nos amore quodam singulari complectatur, quem tãdem inueniemus cum eo comparandũ, qui vitam suam pro nobis proiecit, tum quoq; quum ipsius hostes eramus? Sin autem eo nobis opus est qui pro sua auctoritate sit gratiosus, cuius tandem potentia cùm eius auctoritate conferri poterit, qui ad Patris dextram assidet[a]? A quo verò sese potius exorari sinet Pater, quàm à Filio suo charissimo, in quo vno acquiescit, & suos omnes diligit[b]? Denique quum defunctorum Sanctorum spiritus sint in cælis, corpora in terris, quomodo tandem constituemus nostras preces ab eis intelligi, quin, vel si præsentes esse dixerimus, infinitos simul esse constituamus: vel, si malimus eos quanuis absentes animum nostrum inspicere, καρδιογνώστας eos esse arbitremur? Atqui infinitum & καρδιογνώστην esse, in vnum Deum cadit, quo fit vt Sanctos hac vita defunctos

a *Eph.4.b.10* *Heb.7.d.25.*

b *Eph.1.b.6.*

ctos inuocare nõ possimus, quin eos simul deificemus. Nam quod garriunt nonnulli, Sãctos ista omnia arcana in Trinitate, quasi speculo, intueri, quàm ineptè ac ridiculè dicitur? Quis enim hoc eos docuit? vtque ita esse demus, profectò intuerentur etiam Sancti quid decreuerit Deus facere vel minùs, vt ipsos minimè oporteat preces suas interponere. In Christo verò qui Spiritu suo inter nos manet, & quem vnum inuocare certa cum fiducia iubemur, nullum eiusmodi argumentũ valet. Ista igitur mortuorum Sanctorum inuocatio prorsus inanis est, ac Deo ingrata, vtpote quæ nullo ipsius verbo nitatur, & cum insigni etiam Christi contumelia ac dedecore sit coniũcta, atque adeò partim ab ignorantia, partim ab hominum diffidentia exorta. Atqui charitas (inquiunt) nunquam excidit [a], ac proinde salutem nostram sitiunt Sanctorũ spiritus in cælis versantes [b]. Id nos verò cõcedimus: sed quis propterea sani iudicij homo collegerit vel nostras preces eos exaudire, vel, etiam si exaudiant, (vt de Angelis qui nos circunstant fateri nos oportet,) idcirco eos sibi vnius Mediatoris officium arrogare, vel tanquam subalternos quosdam sequestres à nobis esse inuocan-

[a] 1. Cor. 13. c. 8.

[b] Luc. 15. b. 7. c. 10.

dos? Atqui ad Martyrum ſepulchra iam olim edita ſunt miracula. Eſto. Sic voluit Dominus Martyrum fidem nobis commẽdare, non vt inuocarẽtur, ſed vt in eis adoraretur ipſius virtus, quæ Martyres teſtabatur in cælo viuere per eum quem ipſi viuentes coluerunt, & cuius veritatem ſanguine ſuo ſanciuerunt. Sed hoc tamen ingenuè confitemur, eos qui miracula iſta nimiùm curioſè cõmẽdarunt, nobis videri ſtrenuam operam Satanæ in ſtabiliendo myſterio iniquitatis nauaſſe: neq; quàm vetuſta ſit hæc ſuperſtitio, laboramus. Excipiunt autem rurſus aduerſarij, nobis licere ac etiam præcipi, vt alij pro alijs precemur, nec tamen propterea Chriſtum dici officio ſuo ſpoliari, quoniam (vt inquiunt) vnus quidem eſt redẽptionis Mediator, at non interceſſionis. Atqui nos paſſim legimus Chriſtum non vnicum modò eſſe redemptorem, ſed vnicum etiam apud Patrem aduocatum. Neque tamen quum id dicimus, Chriſtum imaginamur tanquam ſupplicem pro nobis deprecari, ſed perpetuò vnici ſacrificij odore nos patri reconciliare, ac preces noſtras coram Deo efficaces reddere. Quum autem mutuas preces alij pro alijs concipimus, nullos mediatores

res Christo subordinamus, sed contra coniunctis animis, sicut charitatis regula & verbum Dei iubet, vnico Mediatore freti, communem Patrem inuocamus. Quæ ratio, vt antè diximus, in ijs qui hac vita defuncti sunt, obtinere non potest. Imò verò quid aliud afferre solent isti cur ad Sanctos mortuos confugiant, quàm quòd se indignos esse queruntur qui rectâ & sine subordinatis intercessoribus, ad Christum accedant? qua de re paucis etiam dicendum est, quid sentiamus. Primùm omnium igitur quum preces nostræ nulla re nitantur nobis insita, sed vnica dignitate ac præstantia Christi qui per fidem vnà cum omnibus suis beneficijs noster est factus, obiectio illa planè est inepta, nec potest aliunde quàm ab incredulitate proficisci. Quemadmodũ enim nunquam nobis possumus videri satis indigni in nobis ipsis, ita è contrario necesse est antequam precemur, vt nisi frustrà precari volumus, certi simus fore vt quum nos filius vnicus ille dignus noster intercessor Patri reconciliati, non possimus non obtinere quod petimus in ipsius nomine, quatenus quidem nostra intererit: & absque fiducia ista nunquam à Deo exaudiemur [a]. Deinde si

[a] *Iac.1.a.6. 7.Matt.7. a.7.Luc.11. b.9.Ioh.14 b.13.Heb. 4.d.16.*

recusant isti nobis credere, saltem Chrysostomo & Ambrosio credant. Sic ergo Chrysostomus de Cananæa illa muliere diserens [b], *Cedo*, inquit, *mulier, quomodo ausa es ad illũ accedere, quum sis peccatrix, & iniquitatũ plena? noui, inquit, quid factura sim. En prudentiam huius mulieris. Non precatur Iacobum, non supplicat Iohanni, non adit ad Petrum, nec apostolorum cœtum respicit, aut vllum eorum requirit: sed pro his omnibus pœnitentiam sibi comitem adiungit, & ad ipsum fontem progreditur.* Idem Chrysostomus eodem in loco [c], *Quum*, inquit, *quempiã hominem es precaturus, percontaris quid agat, & audis illum dormire, vel ei non satis esse otij, aut fortassis etiam seruus tibi recusat respondere. Sed istis nihil opus est apud Deum. Is enim te audit quocunque sis loco & vndecũq; inuocetur. Hic nobis nihil opus est atriensi seruo, vel intercessore, vel seruo. Sed hic Miserere mei Deus.* Sed & idem alibi præterea [d], *Non opus est*, inquit, *patronis apud Deum, neque vllis ambagibus, sed etiam si solus es, omni patrono & aduocato destitutus, & seorsum Deum precaris, obtinebis quod petis.* Ambrosius verò hanc ipsam similitudinem reprehendens, quam tamen pene vnã isti solent in ore habere [a]: *Solent*, inquit, *pudore*

b *Hom. 12. de Cananæa.*

c Eadem homelia.

d Homelia de profectu Euangelij.

a Ambrosius in primum cap. Epi. ad Rom.

pudore passim neglecti Dei, miseravti excusatione, dicentes, per istos posse ire ad Deum, sicut per Comites peruenitur ad Regem. Age nunquid tam demens est aliquis, aut suæ salutis immemor, vt honorificentiam Regis vindicet Comiti, quum de hac re si qui etiam tractare fuerint inuenti, iure vt rei damnantur Maiestatis? Idem paulò pòst: *Ideo ad Regem per Tribunos & Comites itur, quia homo vtique est Rex, & nescit quibus debeat Remp. credere. Ad Deum autem (quem vtique nihil latet, omnium enim merita nouit) promerendum, suffragatore non opus est, sed mente deuota. Vbicunque enim talis loquutus fuerit ei, respondebit illi.*

Itaque, vt paucis hanc tractationem absoluamus, arbitramur ex verbi diuini auctoritate nullũ hominis opus esse Deo gratius quàm inuocationem nominis ipsius, si quidem ritè concipiatur. Respicit enim hoc opus priorem Legis tabulam, & complectitur expressam confessionem diuinæ tum potentiæ, tum misericordiæ, cum timore ac reuerentia quæ vni ipsius Maiestati debetur.

De operibus charitatis erga proximum.

In secundum ordinem reijcimus opera charitatis erga proximum, ex posteriorĩs

Tabulæ præſcripto, ſed ea demum conditione ſi proficiſcantur ex vero Dei amore nobis in Chriſto reconciliati, propter quẽ fratres noſtros, etiam quum nos oderunt, ſingulari charitate proſequimur. Niſi enim ſubſternatur hoc fundamentum, nihil aliud quàm peccamus, quantumuis ſpecioſa ſint opera noſtra, quemadmodum indicat Chriſtus propoſito Phariſæorũ exemplo[a].

a *Mat.6,ca.* ferè integro & *Ro.* 14.d.23.

De operibus indifferentibus.

Tertium quoddam eſt operum genus, quæ ſuapte natura nec bona ſunt propriè nec mala, ſed finis duntaxat reſpectu, cuius cauſa ſuſcipiuntur, quatenus videlicet nos reddunt aptiores ad ea præſtanda quæ bona ſunt, vel in faciendo officio noſtro conſtantiores. Huius generis eſt ieiunium, ſobrietas, & ſiquæ ſunt alia quibus carnis laſciuia coercetur, itemque retinendæ virginitatis ſtudium, in his qui habent continentiæ donum[b]. Itaque hoc dicimus in genere, laudabilia eſſe hæc exercitia, modò adſit quod præcipuum & primariũ eſt, id eſt animus nulla ambitione tumens, nec ſuperſtitione imbutus, ſed Dei timore præditus & proximi charitate: deinde ſi ita vſurpentur vt ſic poſſimus promptiores & alacriores euadere tum ad Deum colendum,

b 1.*Cor.7.* capite penè toto.

dum, tum ad iuuandum proximum, pro noſtræ vocationis ratione [c]. Neque etiam ambigimus quin Chriſtiani omnes teneantur vitare quicquid ad Chriſtianæ vitæ officia tardiores eos efficere poteſt. Sed abſit, vt eorum errorem probemus qui in iſtis rebus externis obſtupeſcunt, quaſi in iſtiuſmodi exercitijs poſita ſit pietatis sũma. Malumus enim Paulo aſſentiri qui teſtatur regnum Dei ſitum non eſſe neque in cibo, neque in potu [d], & iſta omnia parui eſſe momenti præ ſtudio pietatis in Deum, & charitatis officijs [a].

[c] 1. Cor. 7. d. 17.

[d] Rom. 14. c. 17. 1. Co. 8. c. 8.

[a] 1. Tim. 4. c. 8.

XVII. Altera controuerſia de bonis operibus, in qua quæritur de eorum principio & origine.

Altera controuerſia de bonis operibus quærit de vera eorum origine. Neque verò nos negamus fidem ac bona opera manare ex noſtra intelligentia ac voluntate, quas Dei gratia præueniat, immutet, adiuuet, & comitetur. Sed hoc in primis affirmamus, quum quæritur de prima origine eius boni quod eſt vtcũque in nobis inchoatum, tantum abeſſe vt vlla ſit in nobis naturæ diſpoſitio ad primam gratiam recipiendam, quæ diſpoſitio poſteà ſuperueniente altera gratia adiuuetur, vt è cõtrario nihil aliud nobis inſit à natura, ita vt nunc

omnes corrupti nascimur, præter tenebras [b] & Dei odium [c]. Oportet igitur in primis & ante omnia, non vt Deus præueniat nostrum liberum arbitriũ debile & infirmũ, (sicut loquuntur Semipelagiani) sed vt nos totis viribus retinentes trahat [d], id est, quod ad qualitates facultatũ nostrarum attinet, nos penitus nouos homines reddat [e]. Id autem fit dum nos non aliquatenus duntaxat, sed penitus cæcos in ijs quæ ad redemptionem spectant, Spiritus sui lumine illustrat [f]: dum corda nostra lapidea in carnea commutat [g]: dum cor mundum creat in visceribus nostris, id est, nostram voluntatem prorsus deprauatam instaurat [h]. Denique dum efficit in nobis & velle & perficere [i], vt constet Apostolum verè dixisse nos ne ad cogitandum quidem quod bonum est, ex nobis esse idoneos [k], & filios Dei nihil prorsus habere quod nõ acceperint [l], acceperint, inquam, non nascendo, sed renascendo, nõ ex naturæ, sed ex regenerationis gratia, quæ gratis quotidie in eis operatur, vt Pelagianorum cauillum effugiamus. Oportet igitur vt gratia nos ex putribus & mortuis trũcis viuas & fructuosas arbores efficiat, antequã vllos bonos fructus edamus. Ex quo consequitur nullũ esse

b *Esa.9.a.2. Luc.1.g.7. Act.26.d. 18.2.Co.4. b.6.Eph.5. b.8.*

c *Ro.5.b.12. & 8.b.7.*

d *Io.6.c.44.*

e *Io.3.a.5. 1.Pet.1.d. 23.2.Cor.5 d.17.Eph. 4.f.23.& 24.Col.3.b 10.*

f *Deut.30.b 6.Ier.24.c 7.& 31.f. 33.*

g *Ez.11.c.19.*

h *Psa.51.c. 12.Ez.16. c.33.& 18 g.31.Eph. 1.d.18.*

i *Phi.2.b.13*

k *2.Co.3.b.5*

esse posse gratiæ & liberi arbitrij concursũ [b] quum Spiritus Dei mera sua gratia nos manumittit à peccato[c], dum nos videlicet Christo per fidem inserit, ex quo nouam vitam haurimus, vt Deo viuamus[d]. Quiî enim concurreret liberum arbitrium, quod nusquam est, antèquam à seruitute peccati sit manumissum? Deinde hoc quoque adijciendum est, quòd liberata nostra voluntas bene vellé incipiat, & in eo cursu perseueret, alteri rursus Dei gratiæ in solidum deberi. Denique quum manumissi à peccato bene agere incipimus, nullũ hîc meritum cogitandum dicimus, sed gratis promissam mercedem gratis dari[e]. Nam præstantissima etiam opera nostra, nisi interueniret Dei gratia, nihil nisi æternas pœnas mererentur, quoniam sanctissimi quiq;, si summo iure cum eis ageretur, deprehenderentur dona Dei sibi concessa infinitis modis, etiam quum studerent bene agere, polluisse ac contaminasse[f].

[a] 1. Co. 4. b. 7

[b] Vide suprà articulum 17. c. 3.

[c] Io. 8. e. 36. Rom. 6. d. 19. & 21.

[d] Ro. 7. a. 4. 5. 6.

[e] 1. Cor. 4. b. 7. Rom. 4. a 4. 5. & 6. d. 23.

[f] Ro. 4. a. 2. 1. Cor. 4. a. 4 Phi. 3. b. 9. Ps. 42. a. 2.

XVIII. De tertia controuersia in bonis operibus, nempe, quænam sit eorum vtilitas.

Supereſt tertia controuersia longè maxima, in qua disceptatur de bonorũ operũ vtilitate, de qua nos quidẽ ista statuimus. Si quæritur quo iure & titulo fiamus æter-

næ vitæ participes, acquieſcimus in vno Ieſu Chriſto nobis oblato, & per ſolam fidem communicato, idq; ex mera Dei gratia & miſericordia [a]. Itaque abhorremus à Meriti nomine, & ſerio cordis affectu agnoſcimus ac profitemur nos, quantumuis iuſtitiæ ſtudeamus, ſeruos eſſe inutiles [b] vitamque æternam penitus & omni ex parte gratuitum eſſe Dei donum [c], cuius rei vnicum præterea argumentū adſcribam. Bona opera certum eſt manare ex Chriſto in nobis habitante, cuius virtute & efficacia gratuita freti incipimus bene velle & operari, quemadmodum è contrario natiua illa veteris Adami corruptio nobis inſita profert in nobis vitioſos omnes motus ex quibus prauæ actiones eduntur. Neceſſe eſt enim vt Chriſtum poſſideamus qui nos efficiat bonas arbores, antequam illos bonos fructus proferamus, quum Paulus teſtetur peccatū eſſe quicquid fit abſque fide [d], & effecta neceſſariò efficiēs cauſa antegrediatur [e]. Quod quum ita ſit, cōſequitur fidē neceſſariò præire bonis operibus. Atqui quiſquis fidem habet, iuſtificatus eſt eo ipſo momento, niſi fortè iuſtificatus nó eſt & pacem non habet [f], qui Chriſtum habet. Quî fiet igitur vt bonis operibus iuſtifice-

a *Rom.3.c.21.22.* *1.Cor.2.a.2.*

b *Luc.17.c.10.* *Pſa.16 a.2.*

c *Ro.6.d.23.*

d *Ro.14.d.23.*

e *Ro.6.a.5.6 & 7.a.4.5.6.*

f *Rom.5.a.1.*

ficemur, ac proinde ſeruemur, quũ nos prius oporteat iuſtificari ac proinde dignos fieri qui ſeruemur, quàm vel vnicum bonũ opus edere poſſimus? Iuſtificamur autẽ & digni ſalute reddimur, vt antè diximus, nõ in nobis, ſed in Chriſto Ieſu, cui per ſolã fidẽ coniungimur, vt omnia ipſius beneficia nẽpe iuſtitia, ſanctificatio, redẽptio nobis imputentur. Itaque, vt paucis omnia complectamur, agnoſcimus nullis promitti vitã æternam niſi qui ſtudent operibus iuſtitiæ, nec alios cẽſeri iuſtos corã Deo, quàm qui ſerio reſipuerunt [a]: ſed longè diuerſas quæſtiones eſſe dicimus, quinã iuſtificẽtur, & qua iuſtitia iuſtificentur, & eã iuſtitiam quam Spiritus Dei in nobis inchoauit non causã, ſed teſtem eſſe dicimus eius iuſtitiæ qua vna freti corã Deo comparemus, & vitam æternã ad nos vt Chriſti cohæredes iure quidẽ ſed gratis pertinere contendimus. [b] Iuſtitia autẽ hæc, ſi ſpectemus cui propriè inhæreat, vnius Chriſti perſona includitur. Sed quoniã is nobis datus eſt vt quiſquis eũ per fidem amplectitur, fiat eius particeps in vitam æternam, quoniam factus eſt nobis à Deo patre ſapientia, iuſtitia, ſanctificatio, redemptio [c], idcirco noſtra etiam eſt per imputationem, & in ea vna, vtpote quæ

[a] *Mat.25.d. 35.36.Iac. 2.c.14.* & deinceps *1.Io.3.b.7.*

[b] *Rom.5.a.1. & 8.a.7. & 9.39.*

[c] *1.Cor.1.a. 20.*

sola sit perfecta, prorsus acquiescimus.

XIX. Quorsum nobis vtilia sint bona opera apud Deum & apud homines.

Ex istis facilè cognosci potest, quàm sint impudentes quicunque calumniantur bona opera à nobis vituperari, quũ è contrario nulli rei æquè studeamus atque huic vni, vt demonstremus quænam verè bona sint opera, & ex quo fonte promanent, ne miseri mortales sibi ipsis imponant. Quanuis autem neque insolidum, neque vlla prorsus ex parte nitamur bonis operibus, quum quæritur quo iure seu titulo, vt loquuntur, vita æterna nobis obtingat[d] quãuis, inquam, in vno Christo Iesu acquiescamus, tamen agnoscimus regenerationis nostræ fructus nobis multas ac magnas vtilitates afferre. Primùm enim hac ratione solemus proximos nostros vel Christo lucrifacere, vel in Christo retinere, ipsosq; adeò Christi iuratos hostes cogimus gloriam Deo tribuere[a]. Secundo, bonis operibus certiores fimus nostræ salutis, non tãquam causis vt paulò antè dixi, sed tanquã testibus & effectis causæ instrumentalis per quam adipiscimur salutem, fidei videlicet, vt est à nobis anteà demonstratũ. Hæc nimirum causa est cur testetur Deus se redditu-

d *Phil.3.b.* *9.Rom.6.d.* *23.1.Cor.4.* *a.4*

a *Mat.5.b.* *16.* *1.Pet.2.c.* *12.*

diturum vnicuique ſecundum ipſius opera [b]: & cur Abrahã dicatur etiam ex operibus iuſtificatus [c]. Neque enim hæc ita accipienda ſunt quaſi opera noſtra ſint cauſæ noſtræ ſalutis vel inſolidum, vel aliqua ex parte [d] (nam certè ſi ita eſſet, non ſatis firmum eſſet noſtræ ſalutis fundamentum) vel quaſi ex operibus noſtris poſſimus coram Deo iuſti cenſeri, [e] ſed quoniam bona noſtra opera ſunt effecta, ex quibus fides noſtra intelligitur, fides, inquam, apprehendens Ieſum Chriſtum veram & vnicam iuſtitiam noſtrã, ſicut anteà diximus.

b *Mat.16.d.27.Ro.2.a.6.*

c *Iac.2.d.21.*

d *1.Co.4.a.4. Phi.3.b.9.*

e *Ro.3.c.21. Ga.2.d.21.*

Tertio, neceſſe eſt vt fateamur quãdam eſſe cognationem aquæ & eius ſcaturiginis ex qua promanat. Quoniam igitur regeneratio noſtra, quandiu in hoc mundo verſamur, nunquam euadit in ſummũ gradum, & ſupereſt in nobis perpetuum illud Spiritus & carnis certamen [f]: quoniam inquam, adhuc reſident denſiſſimæ tenebræ in noſtra intelligentia [g], & maxima aduerſus Deum repugnantia [h], efficitur fore vt ſi ſummo iure inquireret Deus in ipſa quoq; præſtantiſſima hominum opera, nihil aliud poſſit de ijs conſtitui quàm meras eſſe donorum Dei pollutiones, quemadmodum ſæpiſſimè accidit, vt riuus alioqui clarus &

f *Ga.5.c.17.*

g *1.Cor.13.c.9.d.12.*

h *Ro.7.c.19.17.d.19.23.25.*

limpidus inficiatur cloacæ ſordibus per quas decurrit. Hec igitur cauſa eſt cur exclamet Dauid, Non iuſtificabitur in tuo conſpectu vllus viuens [a]: & Paulus hanc querelam effundat, Non facio bonũ quod volo, ſed facio malum quod nolo [b]. Me miſerum, quis me liberabit ex hoc corpore mortis? Hanc formulam iudicij de optimis etiã noſtris operibus nobis ſancti ſerui Dei præſcribunt, tantùm abeſt vt Meriti nomẽ vſurpent, quod ſanè nunquam in eccleſia Dei irrepſiſſet, ſi ſatis expenſa fuiſſet veteribus Latinis Theologis eius vocabuli propria ſignificatio. Nam quod ad Græcos attinet, quanuis hoc illis perpetuum fuit, Theologiæ fontes perturbare humanæ Philoſophiæ luto, quæ res efficit, vt ſuum illud αὐτεξούσιον plus æquo ſemper extulerint, tamen nullam apud eos vocẽ inuenio quæ glorioſo Meriti nomini ſatis reſpondeat. Hoc tamen profitemur, tantam eſſe Dei noſtri bonitatem, vt, quoniam adoptiuos ſuos filios nõ in ipſis, ſed in vnico ſuo Filio chariſſimo Ieſu Chriſto conſiderat, cũ quo videlicet coniuncti ſunt arctiſſimo illo Fidei vinculo: neque in æſtimandis ſuorum donorum fructibus rationẽ habet eius pollutionis quæ à noſtræ carnis imbecilita-

[a] Pſa. 143. a. 2.

[b] Ro. 7. d. 19. 23. 24. 25.

te

te promanat, sed purissimi illius fõtis à quo profluunt, id est, Spiritus Christi in omnibus credentibus efficacis, vt peccato mortui, iustitiæ viuant: tantam, inquam esse Dei nostri bonitatem vt idcirco opera nostra quamuis imperfectissima, tamen non modò non improbet, sed etiam eò vsque probet, vt mercede dignetur[a], tum in hac vita tum etiam in futura, sicut in talentorum similitudine declaratur[b]: minimè id quidem quasi hæc merces operibus nostris debeatur[c], sed pro mera sua gratia & misericordia: sicut Deus in ipsa etiam Lege testatur, sese nimirũ pro sua misericordia, nõ autem ex iure quodam debito, benefacturum ijs à quibus diligitur, quiq; mandata ipsius obseruant[d].

Quartò, quũ bona opera sint Fidei nostræ testimonia, consequitur etiam inde petendam aliqua ex parte testificationem æternæ nostræ electionis, quoniã Electionem necessariò cõsequitur fides Christum apprehendens, per quem iustificati & sanctificati, fruamur ea gloria cui destinati sumus ante iacta mundi fundamenta[e]. Est autem hæc doctrina eò accuratiùs obseruãda quò magis solet à mundo negligi, quasi nimirum doctrina de particulari electione

a *Gen. 15.a. 1. Mat. 5. b.12. & 10. d.42. 2. Iob c.8.*

b *Mat. 19.d. 20. 1. Tim. 4.c.8. Mat. 25.b.21.*

c *Ro. 4.a.2.4 5. & 6.d. 23.*

d *Ex. 20.b.6*

e *Ro. 8.f. 30. Eph. 1.a.3. 4.5. & c.13. 14.*

vel sit curiosa, vel comprehendi non possit, quum è cõtrario Fides nihil sit aliud quã il lud quo certiores simus, vitã æternã ad nos pertinere, quoniam ante iacta mundi fundamenta sumus à Deo tantæ huic saluti ac gloriæ per Christum possidendæ destinati. Itaque quicquid antea de fide & eius effectis disseruimus, inutile foret, nisi hæc doctrina de æterna electione substernatur, tãquam vnicũ totius Christianæ fiduciæ fundamentum.

Quoties igitur Satan nobis litem mouet de nostra particulari electione, nõ est eius controuersiæ explicatio statim scrutanda in æterno Dei consilio, cuius maiestatem nõ possimus sustinere: sed è contrario initium faciendum est ab infimo gradu, nempe à sanctificatione quam in nobis inchoatam re ipsa sentimus, vt altius inde conscendamus. Quum enim nostra sanctificatio, ex qua promanant boni motus & bonæ actiones de quibus antea diximus, sit certum fidei, aut potiùs Christi in nobis per fidem habitantis, effectum [a]: & quicunque Christo est vnitus, necessario quoque sit efficaciter vocatus, ac proinde saluti destinatus, nec falli possit Dei prouidentia, ac proinde nullus ex electis pereat [b]: ex his consequitur

[a] Ro. 8. b. 9.

[b] Ioh. 6. d. 37

tur ſanctificationẽ veluti primum eſſe gradum à quo progredi incipiamus ad declarationem primariæ noſtræ ſalutis cauſæ, id eſt æternæ illius ac gratuitæ noſtræ electionis. Quiſquis enim dicit ſe credere, neque ſecundum Spiritum viuit, ſeipſum vt mendacem coarguit [c]. Idcirco Petrus diligenter nos admonet vt noſtram vocationem & electionem bonis operibus firmam reddamus [d], minimè id quidem quaſi illæ nitantur operibus noſtris (quum Paulus cõtrarium affirmet [e]) ſed quoniam bona opera certò teſtificantur noſtræ conſcientiæ Ieſum Chriſtũ habitare in nobis [f], ac proinde nos perire non poſſe, quoniam electi ſumus ad ſalutem.

c Ro.6.a.2. & 8.c.14. 1.Io.3.a.4. & 2.a.3.
d 2.Pe. 1.b. 10.
e 1.Cor. 4.a. 4.Ro.4.a.2
f 1.Pet.3.d. 25.Ioh.6. d.32.

XX. Remedium aduerſus vltimam eamque grauiſſimam tentationem, in qua quæritur an ſimus ex Electorum numero.

Præter illa de quibus iã antea diximus, ſupereſt Satanæ vltima & omnium grauiſſima tentatio qua nos impetat. Primùm enim conſtat vſuuenire interdum vt Chriſtus Electorum quorundam vocationem multum differat, atque adeò ad extremum vſque vitæ momentum [a], quo fit vt iſti non ſatis muniti videantur præſidio ab illis effectis petito quæ paulò antè commemora-

a Mat.20.b. 9.

uimus, vt pote qui nunquam illa ſenſerint. Quî enim ſenſiſſent eius cauſæ effecta, quã nondum in ſeſe haberent [b]?

[b] Luc. 23. f. 43.

Deinde quoniam ſanctiſſimi etiã quique in eas anguſtias interdum rediguntur, vt effecta de quibus diximus admodũ languida ac penè nulla in ſeſe comperiant, Satan libenter alterutrum eis perſuaſerit, nẽpe vel id quod ipſi antea fidem eſſe exiſtimabant, fidẽ non fuiſſe, ſed inane duntaxat fidei ſimulachrũ: vel etiam ſi anteà crediderint, fidem tamen ſua ipſorum culpa ac negligentia amiſiſſe.

Quærendum eſt igitur diligenter qua ratione poſſimus hanc tentationem omnium grauiſſimam ſuperare, quanuis de ea re iam nonnihil extremo articulo ſuperiore dixerimus. Ac primùm quidem quod ad eos attinet quorum tarda eſt vocatio, ſpes eorum tamen ijſdem illis effectis niti debet. Quantum enim ad internum teſtimonium ſpectat, tarda vocatio nõ impedit quominus illud perſonet in eorum animis, & quidem ſæpe numero clariùs ac magis ſonorè quàm in ijs qui maturè ſunt vocati, ſicut ipſa experientia in latrone illo celebri demonſtrauit. Quòd ſi quæritur de regenerationis effectis, reſpondeo præſtã-

tiſſima

tissima hæc esse opera Christi intra nos habitantis, cordis contritionem ex odio peccati & reuerentia Dei proficiscentem, fiduciamq; in Christum & eius inuocationem. Quisquis igitur in sese percipit hos motus vel in ipso mortis puncto, norit se habere certa fidei suæ ac proinde suæ quoque electionis ac salutis testimonia.

Qui verò sunt in eas angustias detrusi, vt quod optimis etiam ac Deo charissimis hominibus contingit, effecta illa admodũ languida ac penè nulla in se comperiant, diligenter ista meditentur, vt ex hac tentatione emergant.

Primùm quoniam Effecta illa quæ duplicia esse diximus, sunt instar duarum anchorarũ quibus vtrinque sustineamur, quoties vna ex parte vacillabimus, necesse fuerit nos in alteram partem eò fortius niti tãtisper dum vtrinque firmemur. Quid enim? Quũ Dauid & Petrus tam turpiter essent lapsi, an non in illis admodum lãguebant regenerationis & sanctificationis effecta? Ita est profectò, sed ijdem illi in hac tentatione, quæ ipsos profectò ad desperationem solicitabat, incubuerunt alteri anchoræ nempe testimonio quod Spiritus sanctus testabatur ipsorum spiritui, eos ni-

mirum quamuis fœdissimè lapsos, tamen in numero filiorum Dei censeri, ac proinde remissa illis esse peccata.

Deinde etiam si quis vtrinque vacillet, tamen non est quod animum despondeat. Neque enim ad hoc vt Christi participes fiamus, requiritur perfecta Fides, sed Fides vera duntaxat. Vera autem Fides esse non desinit quæ admodum est infirma ac debilis, adeò vt penitus interdum sit sepulta. Itaque vel sola Fidei scintilla, ac proinde etiam vel minimum Fidei in nobis effectū, si modò verum sit & ex vera Fidei scaturigine promanet, hactenus est efficax, vt verè nos de nostra salute securos reddat. Quāuis enim nemo nisi interueniente Fide seruetur, salus tamen nostra propriè non nititur Fide nostra, sed eo vno potius quem apprehendimus per Fidē nempe Iesu Christo. Tanta est autem Fidei vis vt, quoniam Deus ita promisit[a], vel minimū ipsius veluti granum, totum Iesum Christum nobis insinuet. Hoc tamen constat, quò plenior est Fides, eo maiorem ipsius vim esse qua nos magis ac magis cum Christo copulet. Ac sanè magnopere nos pudere debet quum non modò nihil promouemus, sed etiam resilimus. Non tamen efficitur

a *Mat.17.c.20.*

victorem

victorem fore Satanam, si modò res ipsa declararit nos ideo retrocessisse vt eò fortiùs postea progrederemur, id est, si, quod generosis animis accidere solet, hæc infamia virtutem in nobis non extinxerit, sed acuerit potius, & ex ipsa imbecillitate vires sumpserimus.

Tertiò, quoties ita languebimus prostrati, proponamus nobis ob oculos Sanctorum exempla qui non minùs profundis gurgitibus fuerunt immersi[b], neque tamen propterea destiterunt Deum inuocare, à quo etiam sunt exauditi, quoniam erant ex numero filiorum Dei, etiam si grauissimè peccassent. Proponamus, inquam, nobis eiusmodi exempla, non vt pergamus in peccatis, (id enim illi minimè fecerunt postquam sunt à Domino expergefacti) sed è contrario vt eorum fidem & resipiscentiam imitemur. Denique falsam esse Satanæ conclusionem sciamus, quoties colligit falsam nostram fidem fuisse ex eo quòd certo tempore non appareant ipsius effecta. Perinde enim argumentatur, ac si quis colligeret nullum esse verum ignem vbicunque nulla flamma collucet, vel hyeme non viuere arbores, quoniam nec folia nec fructus edunt.

b *Psal.77.c.11.& 116.b.11.* Huc pertinet tota Iobi historia.

Quartò, confugiendum nobis est ad verum & certum remediũ, nempe ad firmitatem æternæ nostræ Electionis, quæ nititur immutabili Dei proposito. Vt autẽ huius tam certæ electionis firmũ testimoniũ habeamus, eo etiam tempore quo nulla penè Fidei effecta in nobis cõperiemus, memoremus dies præteritos, Dauidem imitati. Ita enim fiet profectò vt tam multa tamq; aperta testimonia diuinæ erga nos beneuolentiæ inueniamus, vt meritò dubitare non possimus de paterno ipsius in nos affectu. Præterea comperiemus superioribus temporibus tot tamque illustria Fidei ac proinde etiam Electionis nostræ effecta sese in nobis exeruisse, vt ne Satan quidem ipse inficiari possit nos eo tempore fuisse Deo acceptos, ac proinde veram fidẽ habuisse, quũ absque Fide nemo possit Deo verè placere. Quod si obijciat Satan, tum quidem nos fuisse fide præditos, sed ea amissa factos Dei hostes: nos contra intrepidè respondeamus, falsissimam esse hanc doctrinam. Sunt enim hæc duo axiomata certissima sine vlla exceptione, Deum nũquam mutare sententiam: &, quiquid semel decreuit, necessariò perfici. Addamus autem tertiũ quoque axioma, Fidem esse

Dei

Dei donũ ſolis electis proprium ac peculiare. Id autem ita eſſe probatur ex eo quod quiſquis credit, Chriſto verè vnitur, ac proinde mori nunquã poteſt. Quæ quum ita ſe habeant, neceſſe eſt profectò vt fateamur donum veræ illius Fidei qua iuſtificamur, nunquã à perſeuerantiæ dono diuelli poſſe, quamuis interdum labefactetur Fides, ac proinde quoque perſeuerantia quibuſdam veluti interuallis interrũpatur. Quod enim de Petro teſtatur Dominus ſe pro eo rogaſſe ne ipſius fides deficeret, locũ habet in his omnibus qui, quod ad electionem & ſalutem attinet, pari ſunt cum Petro conditione: & manifeſtè declarat quanuis Petrus non peccarit ex Fide neque ex S. Spiritu, ſed ex carne & ſanguine, eo tamen ipſo tempore Fidem non fuiſſe penitus ab eo ablatam, nec S. Spiritũ penitus ei ademptum, ſed hactenus dũtaxat vt fides in eo ad tempus velut oppreſſa lateret, & nihilominus ſemen Spiritus adoptionis intra eũ deliteſceret. Idem in Dauide quoque apparuit quum eſſet Prophetæ voce velut ex sõno expergefactus. Neque enim tunc Dominus S. Spiritum ei reddidit quaſi anteà prorſus eripuiſſet, verùm ſopitas S. Spiritus vires in eo excitauit. Alioqui non cla-

massetDauid, Spiritum tuum ne auferas à me, sed potius dixisset, Spiritum sanctum tuum restitue mihi: quod ipsum tamen ex fide dicere nunquam potuisset, si penitus fuisset sãcto spiritu destitutus. Itaque quod nonnulli sæpe inculcant aduersus eos qui in Fidei simulacro & vmbra sibi placent, quique ex falsa persuasione fidei qua & sese & alios decipiunt[a], peccandi licentiam arripiũt, quasi iustificari possit aliquis quin simul sanctificetur: quod inquam nonnulli aduersus eiusmodi monstra inculcant, peccatis excuti Fidem & S. Spiritum, vel intelligendum est de eo Fidei gradu quò peruenire etiam possunt reprobi, eò vsque videlicet, vt non modò in Ecclesia censeri, sed etiam bonum Dei donum gustare, nunquam autem concoquere & eius participes re ipsa fieri possint[b], quoniam hoc est electorum proprium[c]: vel eatenus accipiendum est vt intelligamus, quod ad effecta quidem & fructus attinet, ad tempus quodammodo tolli posse fidem, sed ita vt semen & germen ipsum maneat, quod postea suo tempore erumpat. His igitur positis fundamentis affirmo eum qui vel semel tota sua vita senserit certum veræ Fidei testimonium, securum esse debere de ea non modò

a
1. *Ioh.* 2. *a.* 4. *& b.* 9. *& 3. b.* 10. *& d.* 19. 24. *& 4. c.* 13. *d.* 20.

b
Mat. 12. *d.* 43. *& de inceps, & 13. c.* 19. 20. 21. 22. *& 21. b.* 12 *& 24. b.* 13 *Ioh.* 15. *a.* 2. *& 6. Act.* 8. *b.* 13 *Heb.* 6. *a.* 4. 5. 6. *&* 10. *e.* 26.

c
Ioh, 6. *d.* 37 *& f.* 56. *Ro.* 8. *f.* 30. *& g.* 39.

modò permanente, ſed etiam permanſura ad finem vſque, tum quoque quum ea tẽpora inciderint quibus abeſſe penitus videatur. Neque enim infans recens natus, idcirco nõ eſt prædítus anima rationis participe quòd nullum eius vſum experiatur: neque ebrium hominem dicimus ratione & intelligentia ſpoliatum, etiam ſi neque mens neque pes in eo officium facit, neque vitalis omnis facultas eum deſeruit qui eſt ad tempus mortuo quàm viuo ſimilior, non modò ex medicorum ſententia, ſed ex ipſius etiam ægrotantis ſenſu. Quid igitur? an propterea qui ſemel crediderint, impuné peccabunt? Video enim nonnullos hoc modo infamare hanc doctrinam de particulari electione, quæ tamen ſi tollatur, quæ tandem erit noſtra conſolatio, quum Fides ea qua vna iuſtificamur non aliter in vniuerſales, id eſt, promiſcuè quibuſuis peccatoribus oblatas promiſſiones reſpiciat, quàm vt eás ſibi ſigillatim fidelis applicet? Reſpondeat pro mè Paulus, Filios Dei eſſe qui Spiritu Dei aguntur, ac proinde non permanere in peccato qui sũt à peccato liberati. Quiſquis enim eſt iuſtificatus per fidem, idem eſt quoque per Chriſti Spiritum ſanctificatus, ideòque

peccato resistit, etiam si ad tempus interdum videatur à Deo derelictus, siue potiùs Deum deseruisse, Non est igitur vox illa eorum qui verè crediderunt: neque in hoc præcipitium nos pertrahit hæc doctrina, sed huc potiùs adducit, vt quò pretiosiora sunt fidei effecta in nobis, & quò certiora sunt hæc arma ad oppugnandum Satanam in isto tam periculoso certamine, eò maiore cura ac diligentia nitamur illa conseruare, id est Deo ac iustitiæ viuere, ex Spiritus sancti virtute quam accepimus, pro certo nostræ adoptionis pignore. Denique sciant isti qui hanc doctrinam oppugnant, quasi aditum patefaciat ad peccandi licentiam, se non aliter id colligere quàm si dicerent homines instrui ad abstinendum à cibo & potu, vel ad otium instituui, quum certum esse ac præfixum vitæ nostræ terminum affirmamus qui præteriri non possit. Ergo, vt paucis absoluam, id apud nos vnusquisque nostrum constituat, salutem nostram pendere à decreto æterno illius qui Filium nobis, siue nos Filio dedit, hoc nobis pro certo affirmanti, fore vt neminem perdat ex ijs quos à Patre accepit[a]. Omnino enim necesse est vt penes eum deposita sit salus nostra

[a] *Io. 6. d. 37. 39.*

qui

qui longè melius eã cuſtodire poſſit quàm nos ipſi. Neque tamen ignoro multa in contrariam partem à nonnullis afferri, ſed quæ facile ſit diluere, ſicut copioſè demonſtratum eſt in libris de hoc ipſo argumento, noſtra memoria conſcriptis.

XXI. Quibus inſtrumentis vtatur Spiritus S. vt fidem creet in Electorum cordibus.

Antea demonſtratum eſt à nobis Spiritum ſanctum eum eſſe qui in nobis creet fidem, verum illud inſtrumentũ quo Chriſtus apprehenditur, vt ex eo hauriamus quicquid ad nos iuſtificandos ac ſeruandos requiritur. Nunc autem conſequitur vt doceamus quibus inſtrumentis ad eam rẽ vtatur Spiritus ſanctus, & quatenus eis vtatur. Bina ſunt igitur hæc inſtrumenta, nempe Verbum & Sacramenta, de quibus ſigillatim diſſeremus.

XXII. Quid intelligatur verbi Dei appellatione, & de duabus eius partibus, Lege nimirum & Euangelio.

Verbi nomine hoc in loco (nam alioqui ſcimùs ita etiam vocari æternum Dei Filium) intelligimus vtriuſque Teſtamenti libros Canonicos, quos vocant, nimirũ à Deo ipſo dictatos: idq; diuidimus in duas primarias ſiue partes, ſiue ſpecies, Le-

gem videlicet & Euangelium. Cætera enim sunt ad alteram harum specierum reuocanda.

Legem vocamus (quoties quidem accipitur pro altera Verbi parte quæ ab Euangelio distinguitur) doctrinam cuius semen est naturaliter cordibus nostris insitum, quamuis ea sit posteà luculentioris & certioris explicationis causa, à Deo ipso inscripta duabus tabulis, & decem mandatis cõprehensa, in quibus obedientiam illam ac perfectam iustitiam describit, quam & ipsius Maiestati & proximis nostris debemus: idque addita conditione altera ex his duabus [a], nempe vel vitæ æternæ, si perfectè Legem præstiterimus: vel æternæ mortis, si vel minimum eius apicem neglexerimus. Euangelium autem, id est felicissimum nuntium, appellamus doctrinam non quæ sit nobiscum nata, sed quæ captũ omnem hominis superat [b], estque nobis è cælo patefacta, in qua nobis testatur [c] Deus se velle gratis nos seruare in vnico Filio suo, si modò eũ per fidem amplectamur vt vnicam nostram sapientiam, iustitiam, sanctificationẽ & redẽptionem [d]: qua, inquã, doctrina Dominus ea omnia nobis declarat, & ita quidem vt nos simul per eam renouet

a *Deut.27.c.18.Iac.2.b.10.*

b *Mat.16.c.17.Ioh.1.c.18.*

c *Ro.3.c.20.21.*

d *1.Co.1.d.30*

nouet quàm efficaciſſimè, vt oblata nobis beneficia amplectamur.

XXIII. Quid inter ſe commune habeãt Lex & Euangelium, & rurſus quibus in rebus differant.

Sũt autem ea quæ modò diximus ſummoperè obſeruãda. Hoc enim verè poſſumus affirmare, ignorationem differentiæ Legis & Euãgelij, plurimis maximiſq; erroribus occaſionem præbuiſſe, quibus hodie Chriſtiana religio perturbatur. Nam quod ad Legem attinet, plerique homines, iuſto Dei iudicio excæcati, nunquam animaduerterunt cui maledictioni Lex ipſa nos ſubijciat, & quorſum inſtituta ſit à Deo: Euangelium autem nihil aliud eſſe crediderunt quàm alteram quandam Legem perfectiorem: ex quo errore poſtea nata eſt diſtinctio illa inter Præceptum & Conſilium, adeò vt paulatim beneficium Chriſti fuerit penitus apud pleroſque obliteratum. Sunt igitur iſta longè accuratiùs nobis expendenda. Ac primum quidem hoc inter ſe commune habent Lex & Euangeliũ, quòd vnus ille verus Deus [a] & ſui ſemper ſimilis, & huius & illius ſit auctor: quò fit vt minimè exiſtimandum ſit Legem ab Euangelio aboleri quod ad ſubſtantiam ſiue rem ipſam attinet, ſed è con-

[a] *Heb.1.a.1.*

b Ro.10.a.4. trario ſtabiliri, ſicut mox oſtendemus[b]. Nã & Lex & Euangelium vnum eundemque Deum, & ſi rem ipſam ſpectes[c], vnam eãdemq; iuſtitiam nobis proponunt, eam videlicet quæ poſita eſt in perfecto Dei & proximi amore. Sed diſcrimẽ magnũ eſt in ijs quæ ſubijciemus, ac præſertim in eius obtinendæ iuſtitiæ ratione.

c Ro.3.d.31.

Primùm enim, vt paulò antè attigimus, Lex innata eſt homini, cuius nimirum cordi Deus ab initio inſculpſit eius cognitionem[d]. Nam quòd multò pòſt tẽpore Dominus illam tulit duabus tabulis perſcriptam, non ideo factum eſt quaſi noua lex aliqua ferretur; ſed vt inſtauraretur vetus illa Legis cognitio quam natiua illa labes ſenſim in hominibus abolebat[a]. Euangelium verò doctrina eſt naturam ipſam trãſcendens, de qua ne ſuſpicari quidem vnquam potuerunt homines, adeò vt nunc quoque illam approbare non poſſim abſque peculiari Dei dono[b]. Patefecit autem eam Dominus primum omnium Adamo paulò poſt eius peccatum, ſicut recitat Moſes[c]: deinde Patriarchis & Prophetis, ea qua libuit menſura donec tandem Ieſum Chriſtum reipſa nobis exhibuit[d]. Is verò nobis pleniſſimè annũtiauit impleuitque

d Ro.2.c.14. 15. & 1.d. 32.

a Ro.7.b.8. & 9.

b 1.Co.1.c.23 & 2.d.14.

c Ge.3.c.13.

d Ro.1.a.2. Lu.1.c.55. f.70.

qúe vniuerſum Euangelium[e], quod nunc quoque patefacit & ad finem vſque ſæculorum patefaciet, prædicatione quã in Eccleſia ſua inſtituit[f].

Secundò, Lex nobis maiſtatem & iuſtitiam Dei veluti nudã proponit, ideoq; nos perterrefacit atq; adeò occidit[g]. Euangelium autem eandem quidem nobis in Deo iuſtitiã proponit, ſed quæ ſit nobis per miſericordiam in Chriſto exhibitam pacata[h], ſicut copioſius oſtendimus articulo tertij capitis viceſimo ſexto.

Tertiò, Lex iubet vt in nobis quæramus eam iuſtitiam quã deſcribit, quæ nimirum in perfecta mandatorum impletione poſita eſt, ideoque nobis exitium noſtrum ob oculos ponit[i]. Euangelium autem nobis indicat vbi tandem nãciſci quod alioqui non habemus, & vbi inuenerimus, quomodo eo potiri poſſimus ideoque nos à Legis execratione liberat[k]. Denique Lex pronuntiat nos felices, ſi plenè eam præſtiterimus: Euangelium verò ſalutem promittit ſi crediderimus, id eſt, ſi per fidem apprehenderimus Chriſtum, in quo multò etiam plura inſunt, quàm nobis deſint. Cæterum & hoc & illud, nempe præſtare quod Lex iubet, &, per Fidem am-

e *Ioh.15.e. 15.& 6.d. 38. 39.40.*

f *Io.17.c.18. Mat.28.d. 20. 2. Cor. 5.d.20. Epheſ.4.b. 10. 11.12.*

g *Heb. 12.e. 18 & ſæpe apud Paulum.*

h *He.12.f.22 23.24.*

i *Ro.3.c.20. Gal.3.b.11. 12.*

k *Ro.3.c.21. 22.& 4.c. 16. Gal. 3. b.13.14.*

plecti quæ nobis in Iesu Christo offeruntur, nobis, vt quidem corrupti sumus, non modò difficillimum est, verùm etiam prorsus ἀδύνατον [a], quo fit vt quartum præterea Legis & Euangelij discrimen sit necessariò adijciendum.

a 2.Co.3.b.5. Phil.1.d. 29.2.Thes 3.a.2.

Quartum igitur discrimen Legis & Euangelij in eo positum est, quòd Lex hactenus in nobis per se est efficax quòd morbum nostrum nobis indicat, atque etiam exasperat: minimè id quidem sua culpa, (est enim bona & sancta,) sed ideo potius quòd natura nostra, vt est corrupta, quò magis redarguitur, eò magis peccandi cupiditate exæstuat, sicut suo ipsius exemplo probat Apostolus [b]: Euangelium verò præterquam quòd nobis certum remediũ proponit aduersus Legis execrationem, hoc habet peculiare, sicut mox ostendemus, quòd adiũctam habet efficaciam illã Spiritus sancti, à quo, vt suo loco diximus, regeneramur ac immutamur, quando videlicet in nobis Fidem creat, vnicum illud instrumentum quo beneficium oblatum apprehendatur [c]. Sed agè planiùs etiam hoc explicemus de Litera & Spiritu quod peruersissimè interpretati sunt nonnulli. Euãgelium igitur dico non esse Literam, id est mortuam

b Ro.7.b.7. 8.9. & deinceps.

c Act. 26.d. 18.

mortuam duntaxat doctrinam quæ nudè ac ſimpliciter inſcriptis proponat, non dico quæ facienda ſint, (hoc enim eſt Legis officium) ſed quæ credenda ſint, ſalutem videlicet in Ieſu Chriſto gratis promitti credentibus: ſed eſſe Spiritum, id eſt, potẽs illud & efficax Spiritus ſancti organon [a] quo nimirum is vtatur vt nobis vires ingeneret ijs ipſis rebus credendi quæ in Euangelio traduntur, id eſt gratuitam in Chriſto Ieſu ſalutem amplectẽdi, adeò quidem vt Lex ipſa quæ nos in nobis condemnat & occidit, nos in Chriſto per fidem apprehenſo iuſtificet ac ſeruet [b]. Hæc porrò cauſa eſt cur antea affirmarim Legem & Euangeliũ inter ſe nõ diſſidere quod attinet ad ipſam iuſtitiam qua indutos eſſe nos oportet vt à Deo recipiamur, & vitæ æternæ participes fiamus: ſed potius in eius conſequendæ iuſtitiæ ratione. Lex enim eam meritò quærit in nobis, quoniã non reſpicit quid præſtare poſſimus, ſed quid præſtare debeamus [c], propterea quòd homo ſua vnius culpa eò recidit vt non ſit ſoluendo, ac proinde ex eo quòd ſoluere non poteſt, minimè abſoluitur. Ex eo verò conſequitur nullam iniuriam nobis fieri à Lege, ne tum quidem quum à nobis exigit quod noſtra

[a] *Ro. 1. b. 16. Act. 16. c. 14.*

[b] *Ro. 3. d. 31.*

[c] *Ga. 3. b. 12.*

culpa præstare non possumus. Euangelium autem ius istud acerbissimum veluti melle quodam Misericordiæ temperans, ita tamen vt de summa Dei iustitia nihil detrahatur, fideiussorem illum nobis demonstrat qui non modò expressis verbis fideiussit, sed etiam nostro nomine quicquid debebamus ad extremum vsque quadrantem exoluit[d], adeò vt illud ipsum Legis ἀχειροδίκαιον quod nos in nobisipsis percellebat ac planè deijciebat, nos in Iesu Christo prorsus erigat ac confirmet. Quũ enim vita æterna ijs debeatur qui legi perfectè satisfecerunt, & Christus Iesus omnem iustitiam impleuerit in eorum gratiam qui per Fidem ipsum amplecterentur[a], efficitur profectò ex ipso etiam Legis rigore fieri non posse vt à salute excidant quicunque per Fidem sunt vnum facti cum Christo.

d *Col. 2. c. 14.*

a *1. Co. 1. d. 30. Phil. 3. b. 10.*

XXIIII. Quorsum vtatur Legis prædicatione Spiritus sanctus.

Ex his quæ diximus de Legis & Euãgelij discrimine facile est intelligere, quorsum & in quem finem Spiritus sanctus vtatur vtriusque annuntiatione in Ecclesia. Neq; enim dubium quin hæc duo ad eum finem dirigat cui sunt destinata. Quoniam igitur,

igitur, quandiu natiua illa corruptio in nobis dominatur, ita cæci sumus vt ipsam quoque ignorantiam nostram ignoremus [b], neque desinamus extinguere quantulascunque illas cognitionis scintillas in nobis relictas vt essemus ἀναπολόγητοι [c], adeò vt de eò potissimum nobis placeamus in quo maximè nos oportuit nobisipsis displicere: necesse est in primis vt Deus ille summè bonus ac misericors, nos eò adducat vt penitus intelligamus quantis & quàm certis in malis versemur. Id verò nulla meliore ratione præstari potest quàm si nobis velut indice commonstrarit quales esse nos necessariò oporteat. quemadmodum ater color optimè cognoscitur si cum albo conferatur [d], Hæc igitur causa est cur Deus initium faciat à Legis prædicatiõe, in qua vna videlicet animaduertere nobis liceat quid debeamus, neque tamen vlla ex parte exoluere possimus, ac proinde quàm prope absimus ab exitio, nisi nobis aliunde subsidium aliquod firmissimum ac certissimum affuerit. Id autem quàm sit necessariũ vniuersalis ille stupor satis declarat quo mundus iampridem tenetur. Quum enim Lex non sit posita vt nos iustificet, quoniam alioqui

b *Ioh.9.g.41.*

c *Ro. 1.c.20. 21. & 2.a. 2.c.9.*

d *Ro.3.c.20. & 7.c.13.*

Christus frustrà esset mortuus [a] sed è contrario vt nos condemnet & apertum damnationis gurgitem nobis ob oculos ponat, deniq; vt commonstrata nobis nostra superbia & nostris peccatis ordine dispositis, manifestaque ira Dei proposita [b], nos penitus conterat: eò tamen insaniæ redacti sunt iampridem miseri mortales, vt pro eò quòd eos oportuerat in vno Christo per Fidem remedium quærere aduersus ea omnia de quibus meritò possunt coram Dei tribunali coargui, non modò petant salutē ex eo quod ipsos condemnat, id est ex suis operibus, alij in solidum, alij quadam ex parte: sed etiam vltro nouis legibus quotidie conscientias suas adstringant, quasi nimirum Lex illa Dei absolutissima condemnandis eis non sufficiat [c]. Id verò qui faciunt, non minus certè insaniunt quàm captiuus quispiam qui patentibus carceris ianuis non aliter liberari se posse existimaret, quàm si vltrò sese in intimum carcerem conijceret, & pro liberatione proposita arctiores sibi compedes indueret. Ergo, vt paucis absoluam, hic primus est vsus prædicationis Legis, vt nobis patefiant nostra innumerabilia vitia, quibus cognitis incipiamus nobisipsis displicere, & ad gradum illum

a *Gal.2.d.21.& 3.c.18.19.d.21.*

b *Ro.1.b.18.& 4.c.15. Gal.3.b.10 d.22.*

c *Gal.4.b.9.10.& 5.a.1. Co.2.b.8.c.16.18.20. & deinceps.*

illum primum resipiscentiæ perueniamus, nempe cordis contritionem, quam postea consequatur plena & aperta coram Domino confessio. Neque enim vnquam ad medicum accedet qui se optimè valere sibi persuasit: suntque omnium hominum ineptissimi ad lucem salutis admittendam, quicunque se satis esse perspicaces sibi persuaserunt, quoniam videlicet non intelligunt quantis in tenebris sint nati, vnde tãtum abest vt emerserint, vt contra nunquã destiterint ex tenebris in tenebras sese scientes ac prudentes conijcere [a]. a Io.9.g.48.

XXV. De altera verbi Dei parte quæ Euangelium dicitur, cuius sit auctoritatis, quamobrem, quomodo, & in quem finem scriptum. b Mat.1.d. 27. Act.4. b.12. 1.Ti.2.a.5. c Ro.1.b.16. d Io.15.c.15. e Io.17.e.18 2. Cor.5.d 9. f Eph.2.b. 20. 2.Pe.1.d. 19.

Legi succedit Euangelium, cuius vsus & necessitas optimè intelligitur ex ijs quæ subijciemus.

Primùm omnium sicut vnus est seruator [b], ita etiam vna est salutis doctrina quæ Euangelium dicitur [c], id est felix & optatus nuncius, à Christo [d] & eius Apostolis [e] plenè declaratus mundo, atque adeò summa fide velut in publicas tabulas relatus ab Euangelistis, vt fraudibus & astutijs Satanæ obuiam iretur [f]. Is enim alioqui multò facilius sua miseris mortalibus

ſomnia propoſuiſſet, ſpecioſo tamen Euangelij nomine adornata: quod ipſum facere non deſtitit, iuſto iudicio Dei hominibus irati, vtpote qui ſemper ſuo more tenebras Luci antepoſuerint. Porrò verò nos quũ dicimus integram Euangelicam doctrinam ab Apoſtolis & Euangeliſtis fuiſſe perſcriptam, hæc tria volumus ſignificare.

Primũ quod attinet ad ipſius doctrinæ ſubſtãtiam, eos nihil penitus de ſuo admiſcuiſſe[a], ſed ſimpliciſſimè paruiſſe huic Dei verbo[b], docete eos ſeruare quæcũque vobis præcepi, ſicut cõſtat ex ipſius Pauli verbis[c].

Deinde, nihil penitus ab illis eſſe prætermiſſum eorum quæ ad ſalutem requirũtur. Nã alioqui perfidioſi fuiſſent, quod nefariũ eſt de illis cogitare, & quã in ea re fuerĩt religioſi, ex Pauli[d] & Petri[e] teſtimonio liquere poteſt. Itaque Hieronymus de hac ipſa re ſcribẽs[f], *Sine authoritate Scripturarum*, inquit, *garrulitas non habet fidem*. Et Auguſtinus multò etiam expreſſiùs[g], *Quũ* inquit, *Dominus Ieſus multa fecerit, non omnia ſcripta ſunt, ſicut idem ipſe ſanctus Euangeliſta teſtatur, multa Ieſum Chriſtum & fecisſe & dixiſſe quæ ſcripta non ſunt. Electa sũt autem quæ ſcriberentur, quæ ſaluti credentiũ ſufficere videbantur.*

a *Col.1.d.28. 2. Tim.3. d.16.17.*

b *Mat.28.d. 20.*

c *1.Cor.11.c 25.*

d *Act.20.e. 27.*

e *1.Pe.1.d. 25.*

f Hier.in Ep. ad.Tit.c.1.

g Auguſt.in Ioh.tra 49

Terti-

Tertium est, ita eos scripsisse quæ scripserunt, vt omnium etiam hominum crassissimi & imperitissimi inde possint percipere, nisi per eos steterit, quicquid ipsorum saluti sufficit[h]. Nam obsecro, cur alioqui scriptum est Euangelium ea lingua quæ tunc posset à quibusuis intelligi[i], & eo dicendi genere quod maximè visum est vulgare ac populare[k]? Ideò testatur Paulus, si opertum est Euangelium, ijs esse opertum qui pereunt, quorum sensum excæcauit Deus huius seculi, id est incredulis. Sed & ipsa experientia omnium temporum satis demonstrat à Deo non fuisse vocatos doctissimos & sapiẽtissimos quosque, sed è contrario plerosque maximè rudes[a], tantũ abest vt doctrinam suã voluerit obscurare ne quibusuis pateret. Quod quũ ita se habeat, duas conclusiones hinc colligimus, ad id de quo agitur maximè pertinentes.

h 1.Cor.1.d. 26.27.
i 1.Co.14.b. 6.7.& deinceps.
k 1.Co.2.a.1. l 2.Co.4.a.3
a Es.29.c.14 Luc.10.d. 21.1.Co.1. d.26.27. & 3.d.18.

Vna est, Euangelij nomine nihil eorum censeri oportere quæ homines scripto Dei verbo, id est doctrinæ in vtriusque Testamenti libris cõprehensæ, adiecerũt. Sunt enim ea omnia potiùs meræ superstitiones & profanationes veri & vnici Euangelij, sicut Paulus testatus est[b]. Sed & Hierony-

b Gal.1.b.8. 9.2.Tim. 3.a.16.17. Ma.15.a.9

mus hac de re loquens, *Quod de Scripturis*, inquit, *non habet authoritatem, eadem facilitate contemnitur qua probatur* [c].

c *Hier. in Mat. ca. 23*

Altera concluſio eſt, eos eſſe verè Antichriſtos & inſtrumenta Satanæ [d], qui veriti ne ipſorũ fraudes patefiant, clamitant certis demũ hominibus fas eſſe ſacram Scripturam legere, ac proinde nefarium eſſe ſacros libros in [e] vulgata idiomata transferre quæ ab ipſis mulierculis intelligi poſſint.

d *Mat. 23. a. 13.*

e *Ro. 1. b. 14. & 16. Ga. 3. d. 28. Mat. 11. d. 28. 1. Cor. 4. g. 35. 2. Pet. 1. d. 19.*

XXVI. Ad Euangelium pertinere aliqua etiam ex parte libros qui veteris Teſtamenti dicuntur.

Præterea tantum abeſt vt Euangelium vocemus ex vulgi more, certas duntaxat particulas temerè & plerúnque ſine iudicio ex quatuor Euangeliſtis aut Apoſtolorum epiſtolis decerptas, vt è contrario non ipſos modò noui Teſtamenti libros eo nomine ſignificemus, ſed etiam quicquid de Ieſu Chriſto prædictũ eſt in veteris Teſtamenti volumine [a]. Euangelium enim, vt iam anteà diximus, vnicum illud eſt per quod Deus à condito mundo ſeruauit electos ſuos [b], ideoque ſtatim poſt Adami peccatum cœpit in mundo promulgari, ſicut teſtatur Moſes [c], quanuis longo pòſt tempore fuerit re ipſa exhibitum mundo per ipſum Ieſum Chriſtum & eius Apoſtolos.

a *Act. 25. e. 22. 23. & 9. d. 22. & 28. f. 23. Io. 5. f. 39. Rom. 1. a. 2.*

b *Heb. 13. b. 8. Act. 4. b. 12.*

c *Ge. 3. c. 15.*

los[d]. Itaque vt paucis absoluã, Euangeliũ vocamus optatum illud testimonium quo Deus pro sua singulari & infinita bonitate iã inde à mundi initio testatus est Ecclesiæ suæ, fore vt qui Christũ per fidẽ amplecterẽtur, fierẽt in ipso vitæ æternæ participes[e].

d Ro.1.a.2. & 16.d. 25.26. 1.Pet.1.d. 20.

e Ro.3.c.21. 22.Io.6.c. 40.

XXVII. Quæ sit sacræ Scripturæ auctoritas, & quamobrem debeat in omnia vulgata idiomata transferri.

Quum affirmamus Euangelium, ita vt est à Deo in tabulas relatum Ecclesiæ causa, vnicum esse ordinarium instrumentum quo Deus vtatur ad seruandos homines, [f]quò fit vt vocetur Verbum vitæ [g]& reconciliationis[h], non tribuimus hanc virtutem syllabis, vel atramento, neque chartulis è collo suspensis, aut certorum verborum recitationi, neque voluminibus precioſè compactis & multo thure adhibito consecratis. Absit enim vt eiusmodi sortilegia & sacrilegia comprobemus. Sed primo loco viã omnem occludimus fanaticis omnibus reuelationibus quibus iam pridem Diabolus consueuit homines ludificari. Deinde hæc tribuimus Euangelio ritè annuntiato & explicato, vt genuinus eius sensus possit percipi[a], & animo insculpi, vbi veros resipiscentiæ fructus edat per Fi-

f Ro.1.b.14.

g Io.6.g.68. Act.5.d. 20.Phi.2. b.16.

h 2.Cor.5.d. 19.

a Ro.10.b.8. 1.Pe.1.d. 25.

b dē[b]. Id enim apertè docent Apoſtoli, quos
Mat.13.c. quum mitteret Chriſtus[c], nequaquam vſus eſt his verbis, Ite, recitate Euangelium
23.Act.16 c.14. incognita lingua, & adorate librū in quo
c perſcriptum fuerit: ſed his potius, Ite, an-
Mat.28.d. 19.20. nunciate Euangelium quibuſuis mortalibus, vt ea prætermittam quæ aduerſus Corinthios ex profeſſo diſſerit Paulus de præpoſtero peregrinarum linguarum vſu in Eccleſia Dei, abſque prophetia & interpretatione[d]. Enimverò quum fides ſit ex auditu[e], quî tandem credet aliquis quod
Ro.10.c.17 nunquam cognouerit? & quod peregrina
f lingua cantatur, quomodo percipi poterit[f]? Sed & illud quæri poteſt, quî tandem
1.Co.14.b. 9.& deinceps. poterunt miſeri homines in vera doctrina
g confirmari, in tentationibus tam varijs &
Ro.15.a.4. 2.Ti.3.d. 16. tam multis fulciri, aduerſus falſas doctrinas muniri[g], niſi Dauidis conſiliū ſequuti[h], noctes & dies conſumant in meditan-
h do Dei verbo, & Scripturæ teſtimonijs di-
Pſa.1.a.2. i ligenter inter ſe comparandis[i]? profectò
Act.17.c. 11.Ioh.5.f. 39. ita factitare conſueuerant Chriſtiani omnes, donec Deo nobis irato, Diabolus hanc lucem nobis incogitantibus adimeret, & denſas illas tenebras iterum inueheret. Id ita eſſe teſtatur Petrus laudās fidelium diligentiam eo nomine quòd prophetarum verbis

verbis attenderent[k]. Notat enim dictum illud Christi, Pasce oues meas[l], intelligi de prędicatione verbi, sicut Paulus ipse explicauit, & re ipsa comprobauit[m]. Interea tamen minimè volumus vnicuique fas esse sacram Scripturam in Ecclesia docere, siue interpretari, quum hoc munus ad eos proprie pertineat qui rectè sunt ad eã functionem vocati[a], sicut infrà copiosius dicemus, sed legendam à quouis & cognoscendã Scripturam dicimus, hactenus vt in germana verbi explicatione quæ in Ecclesia traditur seipsum confirmet, & pseudoprophetas dignoscere & cauere possit. Sed & illud adiicimus, tantum abesse vt lectio sacrarum literarum, adhibito eo quod requiritur à fidis omnibus pastoribus, nempe vt eas fideliter interpretentur[b], non autem vt deintegro Christum offerant[c], vel lingua peregrina vociferentur[d]: tantum inquam, abesse vt ea res pariat dissidia & hæreses, vt è contrario contendamus nulla alia ratione posse ex hominum cordibus hęreses extirpari[e]. Denique quisquis sacrorum librorum lectione hominibus interdicit, sciat sese omnem spem certæ cõsolationis[f] ac salutis[g] illis adimere.

k 2.*Pet.*1.d. 19.21.
l *Io.*21.*e.*15 16.17.
m *Act.*17.*c.* 11.*&* 26. *c.*27.28.
a *Luc.*3.*a.*2. *Ro.*10.*c.*15
b 1.*Co.*4.*a.*2. 2.*Co.*5.*d.* 19.20.
c *He.*10.*e.*18
d 1.*Co.*14.*f.* 27.28.
e 2.*Tim.*3.*d.* 15.16.17.
f *Ro.*15.*a.*4. *Iac.*1.*c.*18.
g *Luc.*1.*g.*77 *Act.*13.*d.* 26. *Eph.*1.*c.*13

XXVIII. *Quomodo vtatur Spiritus sanctus ex-*

terna Euangelij prædicatione, ad fidem in Electis gignendam, & indurandos reprobos.

Quemadmodum exterior prædicatio Euangelij est odor mortifer rebellibus qui aduersus illam semetipsos obdurant: ita odor est viuificus filijs Dei[h]. Id verò non accidit quasi vis illa saluifica vel ipsis vocabulis, vel ipsius verbi ministris insit, sed ideò potius quòd Spiritus sanctus, de cuius officio differimus[i], hac externa prædicatione veluti canali ac vehiculo quodã vtens, ad intimas vsque mentis partes penetrat, vt testatur Apostolus[k], vt, pro sua bonitate ac misericordia, primùm omnium reddat intelligentiam filiorum Dei capacem cognoscendi mysterij salutis in Christo Iesu[a].

Deinde etiam vt eorum iudicium instauret, vt tanquam Dei sapiẽtiam approbent idipsum quod sensus carnis habet pro stultitia[b]. Præterea vt eorundem voluntatem mutet & corrigat, adeò vt ardenti studio amplectatur, & sibi applicet remedium illud vnicum in Iesu Christo[c] oblatum, aduersus desperationem, in quam necesse esset incidere & impelli per legis prædicationẽ[d]. Ita igitur Spiritus sanctus, per Euãgelij prædicationẽ, vulnus sanat quod prædicatio Legis aperuit & deterius effecit:

h 2.Cor.2.d.15.16.
i 1.Co.3.b.7.8.
k Hc.4.c.12. Ia.1.c.18. 1.Pe.1.d.23.
a Act.16.e.14.Eph.1.d 18.19.
b 1.Co.3.b.6 7.8.c.10. 11.d.14. 16.
c Phi.1.d.16 Act.13.g.48.
d Eph.2.a.1.4.5.

cit e: ita, inquam Spiritus sanctus per Euâgelij prædicationem in nobis creat Dei donum, cuius ea vis est vt statim in Iesu Christo apprehendat quicquid ad salutẽ requiritur, sicut antea demonstrauimus.

e *Ro.6.c.14.*

XXIX. *De altero fructu prædicationis Legis qui consequitur efficacem Euangelij declarationem.*

Ostendimus hoc esse non minimum effectũ Iesu Christi in nobis habitantis, quod in nobis creet cor mundum f, vt sciamus g, velimus, & faciamus quæ Dei sunt h, id est vt Deo placere libenter studeamus i, pro eo quòd anteà eramus mancipia peccati k, hostes Dei l, & ad omnem bonam cogitationem prorsus inepti. m Hæc verò causa est, cur nostra mutata conditione, prædicatio Legis aliter etiam in nobis operetur, adeò vt quum anteà nos terreret, incipiat nos consolari: quumque paratam nobis condemnationem ostenderet, præeat nobis vt bonorum operum iter ingrediamur a, ad quæ videlicet præparati sumus, vt in eis ambulemus. Deniq;, vt cum anteà nobis esset durum & intollerabile iugum, grata & iucunda nobis existat b, si hoc vnum excipias quòd magna in nobis tristitia relinquitur ex eo quòd propter reliquias carnis contra spiritum certãtis, non possumus

f *Psa. 51.c. 12.*
g *Ier.24.c.7*
h *Phi.2.b. 13.*
i *Ro.7.d.22.*
k *Ep.2.c.12.*
l *2.Co.3.b.5*
m *1.Io.2.c.17*
a *2.Pet.1.b. 11.c.12.*
b *Ie.31.f.33. Ro.7.d.22. Mat.11.d. 30.*

omni ex parte præstare quod volumus [c]. Nihilominus tamen quoniam fides quæ certum est testimonium Spiritus Dei clamantis in cordibus nostris [d], certò nobis affirmat maledictionem Legis deletam esse sanguine Iesu Christi quicum per fidem coniuncti sumus [e]: & eadem fides certiores nos facit fore vt tandem aliquando spiritus superior euadat atque adeò vt mors ipsa nobis ad certam victoriam aditum patefaciat [f], idcirco omnis illa tristitia nullam in nobis desperationem gignit, sed efficit potius vt eò ardentiùs Patrem illum cælestem inuocemus, à quo indies magis ac magis confirmamur. [g] Ita fit vt quibusdam velut gradibus vera in nobis conuersio siue pœnitentia, vel resipiscentia potiùs perficiatur, vt pote quæ incipiat, sicut suo loco diximus, à serio peccati sensu (quem vulgò contritionem appellant) & desinat in veram emendationem hominis interioris & exterioris [h]. Quamobrem hinc quoq; colligimus eos quos seriò pœnitet, necessariò sua peccata confiteri apud eos quidem quorum interest, id est, quos priuatim offenderunt, vel etiam apud Ecclesiæ cœtum quum ita opus est, atque etiam quoad eius fieri potest illis satisfacere, quoniam

c Ro.7.d.24. 25.
d Ro.8.c.15. 16.
e Ro.8.a.1.
f Ioh.5.d.24 1.Co.15.d. 26.g.54. He.2.d.14.
g Ro.8.d.23. 24.25.26.
h Phi.3.c.12 13.

quoniam si hæc absint, fictam esse pœnitẽtiam consequitur. Ex his verò facilè animaduerti potest veram cõfessionem quæ à Deo constituta est, non modò non repudiari à nobis, sed etiam vt necessariam requiri: quãuis minimè velimus cõscientias torquere commentitia illa confessione auricularí ab hominibus excogitata: & quod ad Deum attinet, nullam aliam satisfactionẽ agnoscamus quàm vnicum Iesu Christi sacrificium.

XXX. De altero instrumẽto quo vtitur Spiritus sanctus vt nos efficiat Iesu Christi participes, & quibus de causis Dominus non acquieuerit in nuda & simplici prædicatione Verbi.

Diximus Sacramenta esse alterum illud instrumentum quod adhibet Spiritus sanctus vt nobis applicet quicquid ad salutem nostram requiritur. Quoniam autem vocabulo Sacramenti interdum significatur omne signorum genus quæ sacris & spiritualibus rebus significandis adhibentur: idcirco eius vocabuli significatio in primis accommodanda est ad id de quo agere constituimus. Illud igitur primùm omnium sciamus oportet: Deum nostrum, quũ pro summa sua misericordia vti constituerit misera nostra natura ad boni-

Vide Augustinũ li. 2. de doctrina Christiana. cap. 1. 2. 3. 4.

Vide Chrysostomum hom. 83. in Matth.

tatem & patientiam ſuam declarandam, noluiſſe nobis ſimpliciter dũtaxat ſeipſum patefacere, & viam nobis ad ſalutem quaſi eminus commonſtrare, quanuis hac etiã in re vtatur incomprehẽſibili quadam clementia & miſericordia, dum ad declarandam nobis ſuam voluntatem vtitur hominum ipſorum opera [a], & nobiſcum inſtar nutricis veluti balbutit [b]: ſed præterea, vt infinitè bonũ & clementem ſeſe nobis præberet, ad Verbi prædicationem adijcere voluiſſe quoſdam ritus, quibus homines, etiam maximè craſſi & rudes, excitarentur ad certò ſibi perſuadendum, Deum minimè cum hominibus ludere quum æternam vitam eis in morte Filij ſui proponit. Ea enim vis eſt iſtorum ſiue ſignorũ ſiue rituũ, vt omnes ſenſus non aliter cogant Euangelij promiſſionibus aſſentiri, quàm ſi in rẽ ipſam præſentem adducerentur. Non diſſimili ratione, ſi libeat incomprehenſam Dei bonitatem humanis, quibuſdam ſimilitudinibus adumbrare, hunc morem videmus in pleriſque iudicum tribunalibus obtinere, vt quum rei cuiuſpiam vel dominiũ, vel poſſeſſionem alicui attribuerint, quaſdam præterea cæremonias adhibeant quibus ille in poſſeſſionem mittatur. Ita etiam

a *Deut.18.c.15. Phi.2.a.7. 2.Cor.5.d.19.& 20.*

b *1.The.2.b.7.*

in

in ciuilibus contractibus, quãuis publicus tabellio testium nomina adscripserit, & ipsi instrumento subscripserit, solet tamen ciuitatis aut principis sigillum apponi, vt prorsus validum & authenticum instrumẽtum habeatur [c]. Deus igitur noster iam inde ab initio non contentus Adamo significasse gratiam illam qua constituerat Ecclesiam suam seruare in Filio suo, adiecit sacrificia, vt viuas vnici illius sacrificij figuras, per quas videlicet Ecclesia in spe futuræ redemptionis confirmaretur [d]. Deinde verò quum hoc ipsum fœdus gratiæ & misericordiæ cum Abrahamo rursus sanciret, adiunxit circũcisionis Sacramentum [a]. ac demum etiam Mosis temporibus Agnum illum Paschæ [b], cum alijs cæremonijs penè infinitis, quæ totidem erant imagines eorum quæ Christus suo tempore impleret, sicut Apostolus copiosè & luculenter in Epistola ad Hebræos ostendit. Tandem autem quum aduenisset tẽpus à Deo constitutum, Iesus Christus omnes illas futuri sui aduentus figuras aboleuit: sed ita vt quanuis veteres illas vmbras suo fulgore dispulerit, & mundum docuerit puriore quadã ratione, id est, in spiritu & veritate Deum colere [e]: nihilominus tamen crassæ

[c] *Ro.4.b.11.*
[d] *He.12.a.2.*
[a] *Ge.17.b.10. 11.*
[b] *Exod.12.*
[e] *Io.4.c.22. d.24.25.*

illius & rudis noſtræ naturæ maximam habuerit rationem: atq; ob eam cauſam, quò melius fidem noſtrã aleret ac foueret, pauca quædam ſigna exteriora adiũxerit æterni verbi prædicationi. Nam etſi Ieſus Chriſtus nobis regnum æternum morte ſua iã acquiſiuit, tamen quandiu in hoc mundo hæremus, nõ aliter illud poſſidemus quàm ſpe, & exſpectatione [d], in qua neceſſe eſt vt quotidie magis ac magis cõfirmemur [e], ne animum deſpondeamus.

d *Ro.8.d.24. 1.Co.13.c.7*

e *Eph.4.d. 15.16.*

XXXI. Definitio Sacramenti.

Ex iſtis facile eſt intelligere quid vocemus Sacramentum in tota iſta tractatione: Certa nimirum ſigna, ſiue certas notas, ac viſibilia teſtimonia à Deo ipſo conſtituta in perpetuum vſum Eccleſiæ in hoc mundo peregrinantis: & eius authoritate adiuncta promiſſionibus Euangelij de gratuita Ieſu Chriſti ſalute, vt eò efficacius velut noſtris externis ſenſibus demonſtraret quod nobis per verbum declarat [a], & per Spiritũ ſanctum in cordibus noſtris efficit, quum, ſalutem illam, quam ſola ſpe & fide in hoc mundo poſſidemus [b], in cordibus noſtris obſignat [c]: præterea vt ſacra & ſolennis cæremonia nobis quotidie memoriam renouaret omnium officiorum quibus præſtandis

a *Ro.6.a.3. Ga.3.d.27 1.Co.10.d. 16. Aug. ho.80.in.8 10.*

b *Ro 8.d.24.*

c *Ro. 4.b.15.*

ſtandis & ipſius maieſtati & proximis noſtris obſtricti ſumus[d] ex fœderis formula, qua nimirum tenemur, eius Spiritus virtute freti[e], fortiter & conſtanter aduerſus carnem, mundum & Satanam certare, eumque pro Deo noſtro colere & proximos noſtros propter eum, non aliter quàm nos ipſos diligere[f].

d 1.*Co.*10.*d.* 17.

e *Ro.*6.*b.*12. 13.14. *Ep.* 6.*c.*12.13. 14.15.16.17 18.

f *Io.*13.*d*34. *&* 15.*b.*12. 1.*Io.*4.*c.*11. 12.

XXXII. Quod ſit diſcrimen inter veteris & noui fœderis Sacramenta.

Hæc definitio vtriuſque fœderis Sacramentis communis eſt, in quibus tamen hęc diſcrimina obſeruãda ſunt. Primum, quòd vetera illa conſtituta ſunt ea conditione vt Chriſtum venturum commonſtrarent[g], ac proinde vt in ipſius aduẽtu deſinerẽt: noui autem fœderis Sacramenta ad conſummationem vſque ſæculi ſtabilita ſunt[h].

g 1.*Co.*10.*a.* 4 Auguſtinus aduerſus Fauſtũ, li.19.ca.14.

h 1.*Co.*10.*c.*11 *He.*10.*a.*1

Alterum diſcrimen eſt in ſignis & ipſis ritibus multùm inter ſe diuerſis, vt res ipſa demonſtrat[i].

i *Heb.*12.*g.* 27.

Tertiò, differunt numero, & ipſa, vt ita loquar, ſignificandi menſura. Nam, vt præclarè inquit Auguſtinus[k], *pauciora habemus Sacramenta quàm veteres, ſed faciliora & vberioris ſignificationis, ac proinde maioris efficaciæ ad fidem noſtram confirmandam & promiſſiones in cordibus noſtris obſignandas.*

k 1.*Co.*10.*a.* 2.3.4.Aug. li.2.contra Pelagian. ca.37. Itẽ ho.26.& 45.in Ioh. Aug. in ep. ad Iã. & li. 3. de doct. Chriſt. c.9.

Et hæc quidē ſunt diſcrimina Sacramē-
a torum veteris & noui fœderis. Nam a-
Heb.1.a.1. lioqui vnus & idem Deus auctor eſt vtro-
b runque[a], & idem omnium eſt ſcopus, nē-
1.Co.10.a.2 3.4.Ro.4. b.11. pe Ieſu Chriſti participatio ad vitam æter-
nam, ſicut teſtatur Paulus[b], & confirmat
c quoque diſertè Auguſtinus[c].
Auguſtin⁹ in Ioh.tra-ctat. 26. & ſæpe alias.

XXXIII. Quibus notis vera Sacramenta ab adulterinis diſtinguantur.

Quū ex ipſa definitione liqueat Sacra-
menta eſſe à Deo conſtituta tāquam σφρα-
γίδας Euangelicæ doctrinæ quæ in Eccle-
ſia Dei annunciatur, ex eo conſequitur, vbi
nullum eſt Dei verbum, ibi nullum vel fi-
dei vel Sacramentis locum relinqui[d]. Ex
d quo rurſus duo efficiuntur magnopere ob-
Auguſtin⁹ in Ioh. hō. 13. & 30. ſeruanda.

Vnum, Cæremonias omnes ac ritus ab
hominibus excogitatos vt pars eſſēt diuini
cultus, totidem eſſe ſacrilegia. Quemad-
modum enim vnius Dei eſt promittere, ita
penes vnum illum reſidet auctoritas ſigilli
conſtituendi, & ſuis promiſſionibus appo-
nendi[e]. Quicunque igitur eò proruperunt
e audaciæ, vt vel noua ſacramenta fabrica-
Gal.1.b.8. 9 1.Cor.11. c.25. rent, vel ijs quæ à Deo conſtituta ſunt a-
liquid adijcerent, vel detraherent, crimine
falſi tenentur, quo fit vt Eccleſiæ noſtræ in

ijs

ijs acquieſcant quæ Deus verbo ſuo conſtituit.

Alterum, vbicunque verbum Dei non prædicatur in ipſa Sacramentorum adminiſtratione, ſed duntaxat recitatur, idque peregrina & incognita lingua, & infinitis hominum cõmentis atque adeò blaſphemijs contaminatum, ibi horrendam Sacramentorum Dei pollutionem interuenire, à qua fideles omnes toto pectore neceſſe eſt abhorrere.

XXXIIII. De ijs quæ communia ſunt verbo & Sacramentis.

Ad illa de quibus diximus adijcere etiam oportet tractationem, ex qua intelligatur quid inter ſe commune & quid proprium ac peculiare habeant Verbum & Sacramenta.

Primùm igitur hoc eſt vtriſque commune, quòd vtraque ſunt inſtrumẽta quibus vtitur ſpiritus Sanctus in eundem finẽ, nempe vt nos magis ac magis cum Chriſto vnum efficiat, ex quo poſtea ſalutem noſtram hauriamus[a].

[a] *Ro.4.b.11. 1.Co.10.a. 2.3.4.*

Secundò, quòd Spiritus ſanctus ita vtitur & prædicato Verbo, & Sacramentis, tanquam inſtrumentis gratiæ ſuæ, vt nihilominus tamen ſuam efficaciam in illa

instrumenta non transferat, sed efficacia & virtus omnis ab eo vno promanet [b].

Ro.2.d.19. 1.Co.2.c.11

Tertiò, quemadmodum anteà diximus verbi prædicationem nihil nos iuuare, nisi in primis ita nobis annuntietur vt à nobis possit intelligi, deinde, nisi quod per illud proponitur & offertur, id est Iesus Christ⁹, cum omnibus suis donis per fidem applicetur auditorum cordibus: ita etiam de Sacramentis sentiendum est. Nisi enim ad ea percipienda fidem afferamus, id est, vnicum illud instrumẽtum per quod percipiamus quod nobis ipsa Sacramenta annuntiant & testantur, tantum abest vt nobis ad salutem prosint, vt è contrario, quoniam illa negligimus, aut potiùs Christum in ipsis aspernamur, condemnationem in nobis obsignent [a]. Interea tamen sicut Euangelium semper est suapte natura verbum vitæ & salutis, quanuis ab incredulis vertatur in odorem mortiferum: ita etiam Sacramenta in sese non desinunt vera esse Sacramenta, quanuis ab indignis, aut reprobis etiã hominibus, vel administrentur vel percipiantur. Neque enim potest hominum improbitas naturam diuinæ ordinationis peruertere [b].

a Augustinus hom. 13.in Io. 1.Co.10.a.5 & 11.f.27 29.1.Pet. 3.d.21. Act.15.b. 8.9.

b Augustī.li. 3.de doctrina Christiana cap.9.

b August.ho. 26.in Io. Item lib.2. cõtra Parmenianum ca.8.Item li.2.ca.22. contra Petill.

Quartò, quemadmodum præstantissimum

mum quoduis ſemen fructum non edit eo ipſo momento quo ſeritur, ſed neceſſe eſt vt aliquandiu in terra reſideat: ita etiam ineptè fecerit qui virtutem & fructum aut Verbi aut Sacramentorum ad illud tẽporis momentum reuocarit, quo prædicatur Verbũ & adminiſtrantur Sacramenta, quũ & illius & iſtorum fructus in electorum animis eo demum tẽpore ſeſe exerat quod eſt à Deo conſtitutum.

XXXV. Quid habeant proprium & peculiare Sacramenta, eius quidem finis reſpectu propter quem à Deo ſunt conſtituta.

Et hæc quidem præcipuè ſunt Verbo & Sacramentis communia, quibus nunc ſubijciemus quid ſit & illi & iſtis proprium.

Primùm, quoniam conſtat Sacramenta eſſe veluti Verbi appendices [c], & in eum vſum adhiberi vt obſignẽt quod iam in nobis ineſt, nempe noſtram cum Ieſu Chriſto communionem [d], ex eo etiam liquet oportere vt in adultis hominibus ſimplicis verbi prædicatio antegrediatur vna cũ clara fidei profeſſione, antequam rite cuiquã exhibeantur. Nam quod attinet ad paruulorum Baptiſmum, peculiaris quædam eſt habenda illorum ratio, ſicut ſuo loco dicemus. Itaque in nullam Eccleſiã rectè cõſti-

c Aug. ho. 13 in Ioh.

d Ro. 4. b. 11. Vide omnes veteres ſcriptores, nominatim Iuſtini Apologeticũ

tutam vllus paganus vnquam fuit admissus nisi qui Catechumenus fuisset, & fidei cõfessionem priùs edidisset[a], quàm ad Baptismum reciperetur: quam ob causam etiam Paulus agens de Cœna Domini, requirit vt quisque seipsum probet[b], quod sanè facere non possit qui probationis regulam id est doctrinam, non teneat.

Secundò, potest verbum esse absque Sacramentis vt in quotidiana verbi explicatione tum priuata tum publica, eaque etiam efficaci, vt in Cornelio apparuit[c]: Sacramenta verò absque verbo non itẽ[d]. Nã instrumenta nonnunquam valida sunt etiam non appositio sigillo: est autem sigillum inutile atque adeò sigilli nomen non meretur, nisi sit appositum instrumento, eius confirmandi causa.

Tertiò, quum absque fide nulli pateat aditus ad Christum & vitam æternam[e], & prædicatio verbi ordinarium sit instrumẽtum Spiritus sancti ad fidem in nobis procreandam[f], consequitur prædicationem verbi eámque efficacem requiri in omnibus adultis, ad hoc vt seruari possint, nisi quum Deo libuit extra ordinem operari in eorum cordibus. Sed alia est Sacramentorum ratio. Quum enim sola fide percipiatur

a *Act.4.g.37.& 11.c.17.*

b *1.Co.11.f.28.*

c *August.q. in Leuiticũ, quæsti. 84. Act.10.a.2.4 & g.44.45.46.47.& 11.c.17.*

d *Aug.hom.13.in Ioh.*

e *Rom.14.d.23. Io.3.d.36. He.12.b.6.*

f *Ro.10.c.17*

tur res ipsa Sacramentorum, fides ad eorũ perceptionem afferatur necesse est, ne indignè percipiatur[a]. Iam verò qui fidem habet, Christum habet, ac proinde vitam æternam[b], quò fit vt priùs nos oporteat veluti ius & titulum, vt loquuntur, in regnum cæleste habere quàm dignè possimus Sacramenta percipere[c], tantum abest vt qui fidem habet, nec potuit Sacramentis potiri, propterea certa spe salutis excidat. Itaque non eo vsque pertingit necessitas percipiendorum Sacramentorũ, vt sine exceptione quisquis Sacramentis non fuerit potitus, salute excidat: sed hactenus duntaxat, vt qui ea spreuerit, quũ sese infidelem declaret, reus sit mortis æternæ nisi culpam agnouerit & resipuerit. Rectè igitur testatus est Bernardus[d], non damnare Baptismi priuationem sed contemptum. Non potest autem videri Sacramenta contempsisse cui non licuit ea ita percipere, vti sunt à Domino constituta, & absit vt vllos necessitatis casus imaginemur, in quibus liceat ordinationem Domini violare, sicuti sanè faciunt, vt mihi quidem videtur, qui baptizandi ministerium ad mulieres vel priuatas vllas personas transferunt: quíque extra publicum cœtum & temporibus

a *He. 11. b. 6*

b *Ioh. 6. e. 49 f. 56.*

c *Act. 4. g. 37. 10. g. 47. & 8. g. 36. 37.*

d Bernardus epist 77.

ab Ecclesia non præscriptis, Cœnam Domini administrant.

Quartò, quum simplex verbi prædicatio vnum duntaxat ex quinque illis nostris sensibus feriat: Sacramenta verò præterea in oculos incurrant, & reliquos etiam nostros sensus excitent, atque adeò, adhibitis maximi momenti ritibus, administrentur: facilè intelligi potest quantum illorum vsus fidei nostræ conferat [a], vtpote quæ nos veluti in rem præsentem adducant, quasi Christum ipsum quodammodo manibus iam palpemus, & oculis cernamus, & toto corpore sentiamus. Tantum abest igitur vt aspernemur Sacramenta, vt è contrario fateamur illorũ vsũ & cõmoda nõ posse satis cõmendari, & pro sua dignitate prædicari.

a Chrysosto. homilia 83. in Mat.

XXXVI. Duo tantum esse Sacramenta Christianæ Ecclesiæ.

Eiusmodi Sacramenta, quorum vsus in Ecclesia sit perpetuus & vniuersalis, duo tantùm esse censemus ex Dei verbo, consentientibus etiam nominatim Augustino [b] & Ambrosio [c]: Baptismum videlicet, qui Circumcisioni successit & reliquis Legis purificationibus: & Cœnam Domini, quam agnus Paschæ adũbrauit. Hæc igitur vt penitus à nobis cognoscantur, primùm de

b Aug. lib 3. de doctrina Christiana cap. 9. plura non recenset.

c Ambrosius in tractatione de Sacramentis, non facit aliorum mentionẽ.

de illis in genere, deinde de vtroque seorsim agemus.

XXXVII. Quatuor esse præcipua capita considerranda in Sacramentorum explicatione.

Quatuor præcipuè consideramus in hac tractatione de Sacramentis.

Primùm, quæ & cuiusmodi sint signa, & quo sensu signa dicantur.

Secundò, quidnam illud sit quod per illa significatur.

Tertiò, quæ sit signorũ & rei cõiunctio.

Quartò, quomodo tum signa, tum res ipsas percipiamus.

XXXVIII. Primum caput, quid sit signum, & quamobrem Deus res penitus vulgares in constituendis Sacramentis delegerit.

Signorum nomine vtimur in explicandis Sacramentis, non vt inane quiddam significemus, perinde acsi res quæpiã nobis vel in pictura vel nuda quapiam nota, vel figura significaretur, sed vt declaremus Dominum, pro sua insigni bonitate, externis & corporeis rebus vti, nostræ infirmitatis subleuandæ causa, ad res maximas & diuinissimas, quas intus nobis verè per Spiritum suum communicat, externis nostris sensibus adũbrãdas: adeò vt nõ minùs verè donet rẽ ipsam de qua mox dicemus,

quàm externa illa & corporea ſigna. Præterea ſignorum vocabulo non tantùm cõprehendimus corporea illa, vt aquã in Baptiſmo, panem & vinum in cœna Domini: ſed hoc etiam nomine cõprehendimus ipſas cæremonias, ſiue ritus ipſos myſteriorũ, qui minimè ſunt inanes, quò fit vt ijs quoque nihil etiam addendũ, aut detrahendũ putemus. Sed & illud obſeruandũ eſt[a], Dominũ cui perſpecta eſt naturæ noſtræ vanitas ad idololatriam procliuis, pauca omnino Sacramenta in nouo fœdere, id eſt duo duntaxat conſtituere voluiſſe, eaque ſimpliciſſimis tum ſignis, tum ritibus conſtantia. Adhibuit enim aquam, panem, vinum pro corporeis ſignis. Ritus autẽ ſunt aſpergere, edere, bibere, quibus rebus nihil eſt inter homines frequentius, nempe ne miſeri mortales in iſtorum myſteriorũ vſu, idcirco inſtitutorum vt ſeſe in cælum vſque ſubleuent, è contrario in rebus terreſtribus hæreant, & obſtupeſcant. Hoc igitur Dei conſilium vel non cognouerunt, vel de induſtria conati ſunt impedire quicunquæ cæleſti illa ſimplicitate nõn contenti, putarunt ſe poſſe ſuis commentis Sacramentorum dignitatem ornare, quod illorum præpoſterum iudicium effecit, vt Sacramen-

[a] Augu. epi. 18. Chryſo. homil. 60. ad populũ.

menta in fœdam & execrandam idololatriam degenerarint.

XXXIX. De illorum errore qui substantiam signorum abolent in Sacramentis.

Signa, præterquam quòd sunt veluti mysteriorum subiecta de quibus res ipsa verè prædicetur, quò fit vt sublatis signis tota actio exinaniatur, miram quoq; conuenientiam & analogiam habent cum ijs rebus quarum viuæ sunt imagines, propter characterem illis ex Dei verbo impressum. Ex ijs ergo consequitur, omnem Sacramentorum rationem ab ijs tolli qui tradunt substantiam signorum quasi magica quadam incantatione vel mutari, vel aboleri.

XL. De mutatione rerum corporalium in Sacramentis.

Signa igitur in Sacramentis neque quoad substantiam, neque quoad qualitates naturales aut quantitates mutãtur, sed dũtaxat quoad finem & vsum, cuius gratia in Ecclesia Dei proponuntur: quoniam videlicet incipiũt nobis verè significare res planè cælestes & diuinas, idque non ex sui natura sed ex Filij Dei ordinatione.

Est enim aqua, si naturalem vsum spectes, ad abluendas corporis sordes compa-

rata: panis autem & vinum ad hanc ſuſtinendam vitã: quæ res in Sacramentis longè alium in finem adhibentur, nempe vt noſtræ ſalutis myſteria velut noſtris oculis ſub ijciant, ſicut mox explicabimus[a]. Quòd ſi libet quibuſdam humanis ſimilitudinibus res iſtas tam ſacras illuſtrare, non diſſimilem rationem eſſe dicemus ceræ, quæ vel principis vel ciuitatis alicuius impreſſo ſigno adhiberi ſolet publicis inſtrumentis confirmandis, vtpote quæ natura, vel ſubſtantia nihil à quauis cera differat, ſed vſu longè lateque diſſideat: adeò vt qui cereũ eiuſmodi ſignum corruperit, capitali læſæ maieſtatis crimine teneatur.

a Iren. li. 4. cap. 24.

XLI. Vnde proficiſcatur mutatio rerum quæ in Sacramentis adhibentur.

Mutatio hæc minimè pendet à recitatione vllorum verborum, ſicut Sophiſtæ & impoſtores tradunt, ſed à Dei ordinatione in ipſius verbo comprehenſa. Eſt igitur verbum, id eſt ipſa inſtitutio Chriſti, ſicut ab Euangeliſtis & Paulo explicatur, velut ipſa Sacramentalium ſignorum anima, quoniam, ſicut in verbo nobis declaratur, aqua, panis & vinum fiunt Sacramẽta, id eſt, vera ſigna & ſigilla eorum quæ nobis in verbo promittuntur, & per ipſa verè

verè significantur.

XLII. Mutationem hanc non esse perpetuam.

Quum hæc mutatio vsum duntaxat eũque publicum in Ecclesia respiciat, ex eo efficitur extra Sacramentorum administrationem, siue actionem ipsam mysteriorum nullum ei locum relinqui, quò fit vt quicũque vel aquæ Baptismi sanctitatem aliquã affigunt, vel panem Cœnæ vt rem aliquam cælestem, nedũ vt ipsum Domini corpus, circunferunt & adorant, teneantur duplicis idololatriæ crimine, cui nihil prorsus habẽt quod meritò prætexãt. Primum enim execranda est superstitio, ad signa quæ in terris sunt, eum honorem transferre qui ad vnũ spectat qui in cælis est. Deinde quum extra Baptismi actionem, nec aqua sit Sacramentum sed aqua simplex: nec panis aut vinum sunt corporis & sanguinis Domini symbola, sed panis duntaxat & vinum, ne Sacramenta quidem adorant religiosi isti homines quum hæc adorant, sed meras & simplices Dei creaturas, quæ si loqui possent, proculdubio tantum scelus suis cultoribus exprobrarent.

XLIII. Secundum caput, in quo agitur de re ipsa Sacramentorum.

Promissiones quibus adhibentur Sacra-

menta, quasi, authentica quædam sigilla, in vnum Christum respiciunt[a]. Itaque ipse Iesus Christus in primis, deinde omnes opes quas in sese habet, vnicum illud sunt quod nobis clemẽtissimus Pater donat ad vitam æternam, sicut per signa visibilia verè & certò nobis significat, & sicut sonat verbum signis adiunctum, vt fides per quã vnam possumus oblatum illum thesaurum recipere, magis ac magis in nobis excitetur, ac confirmetur. Et quoniam hæc nostri cum Christo coniunctio singula Ecclecclesiæ membra respicit, ideò mutua illa coniunctio quæ inter eiusdem corporis membra vigere debet, alter est Sacramentorum finis.

[a] *Gal.3.d.17 1.Co.10.d. 30.*

XLIIII. Tertium cæput, in quo quæritur quomodo res ipsa, id, est Iesus Christus, dicatur cum signis coniungi.

Non dubium est quin Deus, qui summè fidelis est, præter signa visibilia, rem ipsam quoque, id est, Iesum Christum vnà cũ omnibus ipsius opibus, verè & absque vllo dolo fruendum semper offerat, qua ratione dici potest ac debet (Dei videlicet promittentis respectu) res ipsa cum signis semper & verè esse coniuncta. Id autem fit nõ certa quapiam virtute vocabulorum vel syllabarum,

labarum, ſicut magi & facinatores exiſtimant: neque vllo coniunctionis modo naturali, vel locali, vt loquuntur (neque enim Ieſu Chriſti corpus eſt imaginariũ, vel inuiſibile, vel in circumſcriptum, vel deniq; vllo modo infinitum) neque propter aliquam ſanctimoniã eius qui hæc ſacra peragit, (pendent enim iſta à ſolius Dei, non autem hominum auctoritate) ſed ſola Spiritus ſancti potentia & virtute, qui efficit vt ille ipſe Ieſus Chriſtus, qui nunc, quatenus homo eſt, non eſt alibi quàm in cælis, ſicut ſcriptura teſtatur, nobis tamen qui in terris ſumus, non minus verè donetur quàm ſigna ipſa de quibus diximus: quatenus videlicet fides noſtra eum contemplans in Sacramentis ſicut expreſſa promiſſio teſtatur, in cælum vſque conſcendit, vbi verè eum complectitur magis ac magis, & credentium animis inſinuat.

XLV. Diſtinctio ſignorum & rei.

Veriſſima quidem & arctiſſima eſt iſta coniunctio, ſed in qua tamẽ illud magnopere eſt obſeruãdum, non eſſe abolendam ſignorum ſubſtantiam, ſiue materiam: neque ſigna cum rebus eſſe confundenda, ſed diſtinguenda, vtpote quæ coniunctim quidem, ſed diſtinctè tamen à Deo nobis do-

nentur: ita vt sæpenumero, quemadmodũ mox ostẽdemus, qui signa sumit, nihil minus quàm rem ipsam percipiat.

XLVI. Quartum caput, in quo quæritur quomodo tum signa, tum res ipsas percipiamus.

Quoniam, vt modò diximus, ita sunt cõiunctæ res ipsæ cum signis vt tamen vnum ab altero distinguatur[a], affirmamus signa exteriora naturali modo percipi, tum à fidelibus, tum ab infidelibus, sed contrario prorsus euentu. Quoniam enim fideles, præter signa, res etiam ipsas percipiunt, inde nimirum consequuntur fidei confirmationem ad salutem & vitam æternam: infideles verò, quoniã sola signa percipiunt, & ita quidem vt res ipsas quas Deus illis non minùs verè, quàm signa offerebat, suo cõtemptu polluant quantum in se est, & contumelia afficiant, iudicium & condemnationem sibi sumunt. Et hæc quidem de signorum perceptione. Quod autem ad rem ipsam attinet, id est ad Iesum Christum cum omnibus ipsius opibus, iam anteà demonstrauimus fidem esse vnicum illud instrumentum, per quod Christus à nobis apprehenditur[b]. Hinc verò consequitur, rem ipsam Sacramentorũ ab eo non posse percipi qui fidem non afferat, & è contrario

a Ierene⁹ li. 4. cap. 24.

b Aug. ser. de Sacr. in secunda feria Paschæ. Prosper. lib. sẽtentiarum, Innocẽti⁹ lib. 3. c. 4. 13. 14.

trario ab eo verè percipi qui veram fidem afferat, idque non dentibus, aut ventre aut vllo crasso & corporali modo, vel qui veritati & ascensioni corporis Domini repugnet, sed spirituali modo per fidem[a], eoque non minus certò & efficaci quàm si naturalis esset. Tanta enim est fidei virtus aut Dei potiùs cuius verbo & Sacramentis fides credit, non vt Christi carnem è cælis elíciat (ibi enim mansura est donec ipse veniat iudicaturus viuos & mortuos, sicut Scriptura testatur[b], cui fides reluctari nec vult, nec potest) sed è contrario sese in cælũ vsque subuehat, promissionibus Dei freta, ibique verè & efficaciter Christo illos vniat, & vt ita loquar, incorporet, in quorum animis ipsa inest. Quamobrem etiam in vetere liturgia, iam olim recepta fuit vox illa SVRSVM CORDA: quibus verbis iubebantur fideles non obstupescere in externis signis, sed illis potiùs tanquam scalis vti, vt in cælum vsque ad Christum penetrarent.

[a] Cypr. de Cœna Domini. Aug. ī Ioh tract. 25. Origenes in Mat. cap. 15.

[b] *Act.* 3. *d.* 21.

XLVII. Applicatio superioris doctrinæ ad Baptismi Sacramentum.

Signa Baptismi vocamus, primum omniũ aquã, deinde Cæremonias eius substãtiales, in verbo Dei perscriptas, quibus ne-

fas esse arbitramur quicquam adijcere vel detrahere: nempe aspersionem aquæ, morã sub aqua, & emersionem ex aqua.

c *Act. 22.d. 16.Ro.6.a. 3.4.1.Co.6. b.11.&15. d.29.Eph. 5.f.25.26. Tit.3.b.5. 1.Pet.3.d. 21.Ga.3.b. 27.Col.2.b. 12.*

Res ipsa Baptismi est [c], aspersio sanguinis Iesu Christi, in remissionem omniũ peccatorum, & imputationem iustitiæ ipsius, quæ velut oculis nostris subijciuntur adhibito externæ aspersionis signo. Præterea mortificatio & sepultura veteris hominis, id est natiuæ nostræ corruptionis, quæ in nobis perimitur & sepelitur virtute mortis & sepulturæ Iesu Christi, quam ob causam dicimur Christum induere in Baptismo, & cum eo crucifigi & sepeliri, sicut nobis in Baptismo repræsentat mora illa sub aqua, tantisper dum qui baptizatur emergat. Denique regeneratio noui hominis in spem certam resurrectionis Iesu Christi (quo sensu mihi videtur Paulus dicere eos qui baptizantur, babtizari pro mortuis [a]) verè repræsentatur eò quòd baptizatus ex aqua velut ex sepulchro emergit.

a *1.Cor.15. d.30.*

Præterea, Baptismus complectitur externam & solennem Christianæ religionis professionem, per quam videlicet obstringimus nos Iesu Christo, agnoscendo pro vero & vnico seruatore, & vitæ cum mutua charitate trãsigendæ, quum vno Baptismo

in

in vnum ſpiritum baptizemur, vt cum vno Chriſto coaleſcamus[b].

Verbum Dei vocamus in Baptiſmo, ordinationem Ieſu Chriſti cum promiſſione vitæ æternæ coniunctam, cuius hæc eſt formula, Baptizate in nomen Patris, Filij, & Spiritus ſancti: quicunque crediderit, & baptizatus fuerit, ſeruabitur[c].

Analogia ſiue conuenientia Rei cũ ſigno maximè eſt propria & perſpicua. Neque enim vllum eſt elementum aptius abluendis corporis ſordibus quàm aqua, ideoque aptiſſimũ eſt fidei noſtræ repræſentando ſanguini Filij Dei, per quem vnum Eccleſia purificatur[a]. Præterea vna eadẽque Baptiſmi forma, in vnum eundemque finem omnibus communis, optimè teſtificatur ſummam illam coniunctionem omnium eiuſdem corporis membrorum[b].

Modus percipiendorum ſignorum naturalis eſt. Res autem ipſæ nobis communicantur, Dei quidem donantis reſpectu, per vnicum Spiritum ſanctum, qui gratis operatur in electis omnibus[c]. Vtitur autẽ Spiritus ſanctus, ſeipſum imbecillitati noſtræ accommodans, primùm quidem homine mortali ad hoc miniſterium in Eccleſia, deſignato[d]. Deinde, verbo[e] clarè pro-

b 1.Cor.1.b. 13.& 12. b.13.Eph. 4.a.5.

c Mat.28.d. 19.Mar.16 b.16.

a 1.Pe.3.d. 21.

b 1.Cor.12.b 13.Eph.4. a.5.

c Io.1.c.33. Act.11.c. 15.16.17. 1.Co.12.b. 13.

d Mat.18.d. 19.

e Eph.5.f.26 1.Pe.3.d. 21.

nunciato & explicato vt per fidem apprehendatur. Tertiò ſignis & ritibus de quibus paulò antè à nobis dictum eſt. Sed hoc in primis eſt obſeruandum, vim & efficaciam omnem in ſolidũ manare à Spiritu ſancto, vt in genere Pauli dictum illud retineatur, neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat, ſed Deus qui dat incrementum [f].

[f] *Mat.3.c.11* *1.Co.3.b.7 8.*

Fides autem illud vnum eſt per quod homines rem Sacramenti ſibi applicant, vt verè dixerit Auguſtinus [g] nos verbo purificari, non quod duntaxat pronuncietur (id enim magicum eſt) ſed cui pronunciato credatur. Porrò hæc fides non oritur à nobis, ſed gratuitò communicatur electis, quo tẽpore Deo libuit illos efficaciter vocare [h], Deus autem is eſt qui ſuos electos nouit [i], quod arcanum illi, ſicuti par eſt, integrum relinquimus, quoties de proximis noſtris agitur. Interea tamen charitas iubet vt pro fidelibus agnoſcamus quotquot verè fidei confeſſionem edunt tantiſper dũ hypocritæ patefiant [a].

[g] *Aug.in Ioh hom.80.*

[h] *Eph.2.b.8. Phi.1.d.29 Gal.1.c.15 16. 2.Th.3.a.2*

[i] *2.Tim.2. c.19.*

[a] *1.Tim.5.d. 24.2.Tim. 3.c.9.*

XLVIII. De infantium Baptiſmo.

Quod ad infantes attinet, quanuis nobis non conſtet, præditos eſſe habitu fidei quam diximus requiri ad rem Sacramentorum percipiendam [b]: neque veriſimile ſit, illo

[b] *Act.8.g. 36.37.*

illo habitu præditos esse posse, qui nullum intelligentiæ vsum habent [c], nisi fortè Deus in illis peculiariter extra ordinẽ operetur, qua de re nobis non liquet: tamẽ eos ad Baptismũ admittimus [d], atque adeò in magno errore versari affirmamus Catabaptistas, qui pædobaptismum reprehendunt.

Primùm, quoniam eandem esse dicimus rationẽ Baptismi & Circumcisionis, quæ à Paulo vocatur sigillũ iustitiæ fidei [e], & nihilominus tamen expresso Dei mãdato iubẽtur omnes masculi octauo die circũcidi.

Secundò, peculiaris quædam est ratio infantinm ex fidelibus parentibus prognatorum. Nam vt illum fidei habitum in sese non habeant qui in adultis fidelibus inest, tamen fidei semen & germen non possunt non habere, quos Dominus ab ipso vtero sanctificauit, & ab infideliũ liberis discreuit [f], quoniam promissio à parentibus per fidem apprehensa, eorum quoque liberos comprehendit in mille vsque generationes [g]. Quo iure igitur quispiam eis denegarit obsignationem eius rei quam Dominus iam illis est impertitus [h]? Quòd si quis obijciat, non omnes esse electos, ac proinde non omnes esse sanctificatos [a], qui ex fidelibus parentibus nascuntur, quum

c *Deut.1.f.39.Ro.10.c.14.17.*

d *Luc.1.b.15.& d.24.*

e *Ro.4.b.11.*

f *1.Co.7.c.14*

g *Ex.20.a.6*

h *1.Co.7.c.14 Mat.19.b.14.*

a *Ro.9.b.6.7 8.*

ne Abrahami quidem, neque Isaac liberos omnes Dominus elegerit, non deest quod respondeamus. Etsi enim hæc ita esse minimè inficiamur, tamen arcanũ hoc iudiciũ Deo relinquendũ esse dicimus [b], & in genere ex promissionis formula præsumimus sanctificatos esse, quicunque ex fidelibus parentibus, vel etiã altero duntaxat fideli parẽte nati sunt, nisi quid obstet, vnde contrariũ colligi possit [c]. Nam in adultis expressam fidei confessionem requirimus, non contenti nuda illa præsũptione de qua diximus: siue ad Baptismum [d] (putà si fortè nondum fuerint baptizati) siue ad Cœnam Domini se postulent admitti [e]: quoniam videlicet quum intelligentia prædita sint, certius inde iudicium fieri potest, an sint Sacramentis dignè percipiendis idonei quantum quidem fert humanum iudicium. Nam hypocritas non possumus iudicare priusquam illos Dominus patefecerit [f].

b 2.Ti.2.9.
c 1.Co.7.c.14
d Act.8.g.37.
e 1.Cor.11.f.28.
f 1.Ti.5.d.24.

Præterea, satis constat minimè inanes esse Ecclesiæ preces, quum infantes Ecclesiæ per Baptismum inserendi in publico cœtu proponuntur, qua eximia consolatione nefas esse dicimus, vel parentes ipsos, vel eorum liberos priuare. Et hanc consue-

tudi-

tudinem ab ipsis vsque Apostolis ad nos manasse veteres testantur[g], vt minimè dubium sit quin Dominus hoc impresso sigillo quod cum precibus Ecclesiæ coniunctū est, æternam adoptionem in ijs infantibus obsignet, quos ab æterno elegit: siue moriantur antequam adolescant, siue ad eam vsque ætatem perueniant in qua veræ fidei fructus edant, à Domino videlicet efficaciter vocati, quo tempore & momento ipsi libuerit.

g Origenes li. 5. in epi. ad Rom. Et sæpe in actis Apostolicis dicūtur integræ familiæ baptizatæ.

XLIX. Cur Baptismus non reiteretur.

Baptismum diximus esse Sacramentum nostræ insitionis in Christum & ipsius Ecclesiam, neque pendere ipsius efficaciam à baptizantis persona. Iam verò quum quisquis semel Christo verè datus est, quāuis interdum deflectat, nunquam tamen foras eijciatur[a], ac proinde satis sit semel receptum esse: nullo modo ijs assentimur qui baptizatos ab hæreticis aut alijs impuris ministris rebaptisant: neque etiam ambigimus quin verus in Papistica Ecclesia Baptismus extet, quanuis à ministris minimè idoneis administretur, & infinitis pollutionibus cōtaminetur. Quoniam enim Dei misericordiæ libuit Ecclesiæ suæ reliquias intra ipsum Papatum conseruare tantisper

a *Ioh. 6. d. 37 1. Ioh. 2. c. 19.*

dum illam rursus erigeret, idcirco noluit Satanæ tantum licere vt Baptismum, quo electi omnes consociantur, penitus illic euerteret. Neque tamen consequitur rectè facere qui liberos suos Papistis sacrificulis offerunt baptizandos, quum id facere non possint quin sese ijsdem sacrilegijs & corruptionibus polluant: ac sit potiùs piorum parentum officium, vel veris verbi ministris in vera Dei Ecclesia statim liberos offerre ritè baptizandos: vel, si minùs id licet, liberorum potiùs Baptismum differre: quum neque eorum salus à Baptismo pendeat, sicut antea docuimus [b], neque videri possint Baptismum spreuisse quibus non aliter licuit eum petere quàm cum Dei offensione coniunctum. Videant tamen quid sint coram Deo responsuri, qui dum suæ infirmitati nimium indulgent, & cum Papistis hærent, sese & suos liberos malunt vel Baptismi beneficio priuare, vel Baptismi profanatione inquinare, quam apertè Christum profiteri ac complecti. Est enim istiusmodi hominum necessitas quam solent prætexere, non coacta sed voluntaria, ac proinde coram Deo ἀναπολόγητος.

[b] Suprà articulo 36.

L. Applicatio superioris doctrinæ de Sacramentis, ad Cœnam Domini.

Signa

Signa vocamus in Cœna Domini panem & vinum, quibus benedicit minister ex Dei verbo: deinde Cæremonias siue ritus actionis essentiales, vt ita loquar, quibus neque adijciendum, neque detrahendum quicquam arbitramur: nempe, quòd minister quidem post claram explicationem diuinæ ordinationis, & inuocatum Dei nomen, panem frangit, & fractum singulis ordine distribuit, itemque postea poculum: qui verò ad Cœnam accedunt, panem iubentur accipere, & edere, & ex poculo bibere, mortem Domini concordibus animis annuntiantes [a].

Res ipsa, quæ signis illis verè & efficaciter significatur, illud ipsum est, quod & in simplici verbo, & in altero Sacramento, id est, Baptismo proponitur, nempe ipse Iesus Christus [b], conceptus, natus, crucifixus, mortuus, sepultus, qui resurrexit & ascendit in cælos, vt omnibus credentibus fiat sapientia, iustitia, sanctificatio & redēptio [a]. Itaque minimè ambigimus quin, sicut ordinationis verba testantur, verum corpus, & verus sanguis Domini, id est ipse Iesus Christus cum omnibus suis opibus verè & sine vlla fraude offeratur, non ore, sed fide, per Spiritus sancti efficaciā perci-

a *Mat.26.e.* 26.27.28. *Mar.14.b.* 12. *Luc.22.* *b.17.19.* 20. *1.Co.11.* *e.23.24.25*

b *1.Co.2.a.2* *& 10.b.16*

a *1.Co.1.d.30*

piendus ad vitam æternam, idque non minus verè quàm corporeis noſtris ſenſibus offeruntur panis & vinum, quæ propterea etiã vocantur corpus & ſanguis Ieſu Chriſti, quoniã videlicet certæ ſunt notæ, & teſſeræ viſibiles & corporeæ, earum rerũ quas nobis Dominus ſpiritualiter offert, id eſt veri corporis & ſanguinis Ieſu Chriſti. Vſitatum enim eſt, quum de Sacramentis agitur, ad declarandam ſacramentalis ſignificationis efficaciam ac veritatem, ſymbolis attribuere rerum ipſarum nomina. Sic enim dicitur poculum eſſe nouum Teſtamentum, id eſt, verum & certum ſymbolum noui Teſtamenti, quod effuſione ſanguinis Ieſu Chriſti ſancitum eſt [b]. Sic Circunciſio vocatur fœdus [c], id eſt, verum fœderis pignus. Sic alicubi Agnus dicitur eſſe Paſcha [d]: Petra deſerti Chriſtus [e], quòd Chriſtum verè & efficaciter repræſentarent, quanuis eius caro, nondum in rerum natura extaret, adeò certa eſt rerum etiam abſentium præſentia, quæ verbo Dei, & fide nititur. Sic etiam apud Paulum, panis dicitur communicatio corporis Chriſti, & poculum communicatio ſanguinis Chriſti [f], quæ verba neceſſe eſt, vt aliqua interpretatione explicentur, quoniam

b *Luc.22.d.20.*

c *Ge.17.b.13*

d *Mat.26.b.17.Mar.14 b.12.Luc. 22.a.7.*

e *1.Co.10.a.4*

f *1.Cor.10.b 16.Mar.14 d.34.Luc. 18.c.17.e. 24.*

am videlicet certa sint symbola, & sigilla nostræ cum Christo communicationis. Quid amplius? petitam esse hanc loquendi rationem, ex ipsa vulgi consuetudine, potest etiam ex ipso Homero comprobari, qui libro Iliados tertio, vbi sanciẽdi fœderis ritũ describit, in hoc videlicet, versiculo.

ἄλλὰς χήρυκες ἀγαυοὶ
Ὅρκια πιστὰ θεῶν συνάγον, victimas, quibus fœdera sanciebantur non dubitat ὅρκια, id est fœdera vocare. Neque aliter Virgilius, fallere dextras dixit, pro fallere fidem & iusiurandũ, quod datis dextris concipitur. Tropus igitur iste, quem constituimus in Christi verbis explicandis, non est à nobis excogitatus, aut à Scripturæ consuetudine alienus, sed cũ verbo Dei, & ipsa natura Sacramentorum prorsus consentiens, neq; aliter Cœnæ Domini mysteriũ à veteribus & orthodoxis fuisse explicatũ, copiosissimè demõstratum est à multis nostrorum temporum scriptoribus.

Analogiam autem Rei & signorum sic explicamus: Panis fractio nostris sensibus repræsentat Domini nostri passionem, qui fractus est doloribus & angustijs mortis, & Iudicij Dei, quod pro nobis omnibus subijt, & in corpore & in anima [a]. [a] 1. Cor. 11. c. 24.

Eiusdem panis itemque poculi distributio, nostris sensibus testificantur, Iesum Christum cum omnibus suis opibus [b] nobis singulis donari à Patre in vitam æternam.

b Ro.8.f.30.

Quòd autem panem accipimus & edimus, & ex poculo bibimus, testatur Iesum Christũ verè nobis cõmunicari, sicut antea diximus. Nouit enim Spiritus sanctus arctissimè coniungere fidei vinculo, quæ alioqui, si locorum distantiam spectes longissimè sunt dissita. Quemadmodum igitur naturali modo accipimus, edimus & bibimus naturalia symbola, quæ postea virtute naturalis facultatis, in nostram substãtiam coalescunt: ita etiam cælesti & spirituali modo Iesus Christus, qui nunc est in cælis & non alibi secundum carnem [a], verè nobis communicatur, vt simus caro ex carne eius, & ossa ex ipsius ossibus [b], id est, vt cum Christo vnum facti [c], & insiti eius corpori per fidem [d], vitam æternam inde hauriamus: atq; etiam eius Spiritu sanctificati nos totos ipsius cultui, & proximis in eo diligendis consecremus [e].

a Act.1.b.11. & 3.d.21.
b 1.Co.10.b.16.Ep.5.g.24.
c Io.17.d.21.
d Col.2.b.7.
e Ioh.6.f.56.57.& 7.a.4.5.6.&c. Ro.8.c.11.12.13.14. & 12.a.1

Denique, quod omnes vno pane vescimur, & ex vno poculo bibimus vt vna fide cũ vno Christo magis ac magis coalescam [g]:

& 1.Io.2.d.29.& 3.b.10.

id

id verò nobis ponit ob oculos ſummam illam coniunctionẽ, quæ in myſtico Chriſti corpore vigere debet, & cui ſolenni profeſſione nos obligamus [f].

Analogia ſignorum & Rei per ſe manifeſta eſt, præſertim quòd vnus panis ex multis granis & vinum ex multis acinis conflatur: quæ res optimè repreſentat noſtrã cum Chriſto coalitionẽ, & mutuam membrorũ eiuſdem corporis conſenſionem [g].

Verbum, quod totam hanc actionẽ veluti viuificat, illud eſt quod à tribus Euangeliſtis, & Paulo exprimitur, non ijſdem quidem ſyllabis, ſed eadem prorſus ſententia [a], Dominus enim (inquiunt) ea nocte qua fuit traditus, accepit panẽ, & quũ gratias egiſſet, fregit, & dixit, Accipite comedite. Hoc eſt corpus meũ quod frãgitur pro vobis. Hoc facite in mei memoriam. Similiter, & poculum poſtquam cœnaſſet, dicens, Hoc poculum eſt nouum teſtamentũ in meo ſanguine. Hoc facite quotieſcunq; biberitis, in mei commemorationem. Nam quotieſcunque hunc panem edetis, & hoc poculum bibetis, mortem Domini annuntiabitis tantiſper dum veniat.

Inſtrumentũ quo Chriſtus recipitur, fides eſt, ſicut antea docuimus [b]. Recte igitur

f
1. Cor. 10. d 17. & 12. b. 13.

g
Vide Aug. ſermone de Sacramentis fideliũ. 2. Fer. Paſ.

a
Mat. 26. c. 28. Mar. 14. c. 22. Luc. 22. d. 16. 20. 1. Co. 11. c, 23. & deinceps.

b
Io. 5. f. 33. & 6. d 35.

Augustinus scripsit, ab eo non comedi corpus Christi qui non sit in Christi corpore, & hæreticos qui sunt extra Ecclesiam, posse quidem habere Sacramentum, sed rem Sacramenti non item [c].

[c] Vide. Aug. de ciuitate Dei. li. 21. cap. 25. & Prosperi sententias & Hier. in Esaiam ca. 66. & in Ie. lib. 4. c. 22.

Hinc ergo consequitur, oportere vt singuli sese explorent, quemadmodum iubet Apostolus [d], num videlicet eos pœniteat anteactæ vitæ, & à Christo toti pendeant, tanquam vnico mediatore. Neque hîc tamen fides perfecta (quis enim mortalium ea præditus est?) sed vera duntaxat requiritur, id est, non simulata. Itaque, non dubium est, quin virtute Spiritus sancti quicunque veram fidem afferunt, magis ac magis cum Christo coalescant, quum ad sacram hanc actionem, ex Dei mandato, accedunt: sicut testatur Apostolus [e], Circumcisionem fuisse iustitiæ fidei sigillum in Abrahamo. Econtrario verò qui alium animum afferunt, quum & signa & promissiones signis adiunctas, atque adeò Iesum Christũ rideant & aspernentur, meritò rei fiunt contempti corporis ac sanguinis Domini, à quo magis ac magis abalienantur [a].

[d] 2. *Cor.* 11. *f.* 28.

[e] *Ro.* 4. *b.* 11.

[a] 1. *Cor.* 11. *f.* 27.

Annũciatio siue aperta confessio & cõprobatio mortis Iesu Christi, ac proinde omnium

omnium quæ noſtra cauſa impleuit: itemque gratiarum actio, pro omnibus beneficijs ab eo in nos collatis, ſunt pars ipſius Cœnæ non minima [b], quo fit vt ſine ſummo ſacrilegio, nec omitti nec peruerti poſſint. Ex hoc autem efficitur, Cœnam Domini ijs non competere, qui ſeipſos non poſſunt explorare, vel quod nullum habeant rationis vſum, ſicut infantibus accidit & mente captis, vel quod in fidei myſterijs non ſatis ſint eruditi: neque item ijs de quibus non conſtat an ſatis ſint Chriſtiani, vtpote qui fidei confeſſionem expreſſam non ediderint [c]: ac demum ne ijs quidem qui legitimo Eccleſiæ iudicio ſunt extra Eccleſiæ communionem eiecti [d], neque adhuc ei ſatisfecerunt.

b 2. Cor. 11. c. 25. 26.

c Act. 8. g. 37. & 10. g. 47.

d Mat. 18. c. 17. 1. Co. 5. d. 11.

L I. Concluſio Rei Sacramentariæ.

Ex ijs omnibus conſequitur, Sacramẽta non eſſe à Domino iuſtituta vt quicquã ei offeramus, ſi excipias Sacrificium gratiarum actionis: ſed potius vt ex mera ipſius gratia, & liberalitate percipiamus, quod pretioſius eſt cælo & terra, nempe fidei noſtræ confirmationẽ, vt indies magis ac magis Chriſto capiti noſtro vniamur, & adhæreamus in vitam æternam.

L II. Cur Spiritus ſanctus vocetur Paracletus, &

quis sit afflictionum nostrarum vsus.

Ex ijs quæ diximus, facile est intelligere, quam ob causam Spiritus sanctus Paracletus, id est, Consolator vocetur [a]. Quũ enim is sit qui Christum nobis per fidem applicat, [b] & qui Christum habet, nihil amplius possit ad salutem requirere [c]: consequitur ab eo vno hactenus pacificari nostras conscientias, adeò vt in ipsis afflictionibus gloriemur [d], quoniam videlicet didicimus illas fortuitò non euenire, sed ab eo immitti, qui nos sibi recõciliatos, partim his flagellis beneuolè castigat, partim etiam conformes facit imagini Filij sui [e], & paulatim nos hac ratione docet peccatum odisse, mundũ aspernari [f], patrem cælestem inuocare cum gemitibus inenarrabilibus [g], nos ipsos agnoscere, & magis ac magis confirmare [h]: cui denique in nobis, tanquam spectaculis quibusdã vniuerso mundo propositis, placet ostendere quæ sit sui Spiritus in fragilibus istis vasis virtus & efficacia, ad gloriam nominis ipsius sempiternam [i].

a *Io.14.b.16. Act.9.e.31*
b *Ro.8.b.15. 16.1.Cor.2. c.10.11.12. Gal.4.b.6. 1.Ioh.3.c. 24.*
c *1.Co.2.a.2.*
d *Ro.5.a.2.3 Iac.1.a.2.*
e *Ro.8.f.29.*
f *Phi.3.b.9. 1.Cor.11.d 12.*
g *Ro.8.c.26.*
h *1.Pet.1.b. 7.*
i *2.Cor.4.b. 7.& 10.d. 15.Co.1.d. 24.*

DE ECCLESIA.

CAPVT. V.

1. Semper fuisse & fore aliquam Ecclesiam, extra quã non sit salus.

Frustrà

FRustrà instituta essent à Deo quæcunque adhuc exposuimus, nisi qui fierent omnium illorum beneficiorum participes. Præterea quum perpetuum sit Iesu Christi regnum, necesse est aliquos semper existere, qui eum pro Rege agnoscant[k]. Itaque ab initio mundi aliqua semper fuit Ecclesia, id est, cœtus & multitudo hominum à Deo selectorum, qui verum Deum agnouerunt & coluerunt ex ipsius verbo, nempe in vno Iesu Christo per fidem apprehenso, sicut copiosè suo loco ostendimus: & hanc Ecclesiam necesse est vt ijsdem de causis perpetuam fore confiteamur[a], quanuis nihil non moliatur Satan vt illam euertat[b]. Denique ijsdem argumentis efficitur, quũ extra Iesum Christum salus nusquam extet, alienos esse à Christo, ac proinde certo perpetuòque exitio deuotos, quicunque priùs moriuntur quàm Christi membra fiant[c]. Virtus enim illa saluifica, quæ est in vno Iesu Christo in illis solis est efficax, quos ipsi donat Pater, id est qui in eum credunt[d], ac proinde sunt Ecclesiæ membra, quæ propterea Christi corpus vocatur.

k 2.Sa.7.d. 16.Luc.1. c.32.Psa. 89.c.37. & 110.b.4.

a Psa. 32.c. 14.Ier.31. f.35.g.36. 37.Mat. 28.d.20.

b Esa. 54.d. 10.11. Mat.16.c. 18.

c Ioel. 2.g. 32.& 3.d. 20.

d Io.3.d.36. & 17.a.3. Ga.3.d.22

II. Vnam duntaxat esse veram Ecclesiam.

Quũ vnus sit Deus[e], vna fides, vnus Dei

e Ep.4.a.4.5

f 1.Ti.2.b.5 & hominum mediator f Ieſus Chriſtus, v-
g Eph.1.d. nicum Eccleſiæ caput g, conſequitur neceſ-
22.& 4.d. ſario vnam quoque eſſe Eccleſiam.
15.f.23.Co
1.c.18.1,

III. Cur Eccleſia Catholica vocetur.

Cor.11.a.2 Quoniam Deus, ſparſo per vniuerſum
h Pſa.2.b.6 mundum Euangelio ſuo, Filij regnum ad
8.Eſa. 54. extremos vſque mundi fines propagauit,
a.1.2.& ideò agnoſcenda eſt nobis vnica Eccleſia,
55.b.5. eaque Catholica, id eſt, vniuerſalis, ſiue
Mat.16.c. per quaſuis mūdi partes diffuſa h: non quaſi
15. Act.1. vnumquemque hominem ſigillatim com-
b.8. Col.1. prehendat (conſtat enim ab hoc benefi-
c.25. cio plurimos ſemper homines fuiſſe exclu-
i Mat.7.b. ſos, ſi vnum quemque ſigillatim ſpectemus i) ſed quoniam fideles ſparſi ſunt per
14. Lu.13. vniuerſum terrarum orbem, prout Do-
d.24. mino libuit electos ſuos quibuſuis tempo-
a Act.10.c. ribus, & ex quibuſuis gentibus ſibi adiun-
18. Apo.7. gere a.
c.9. Mat.
12.d.27.

IIII. De ſanctorum communicatione.

b Eph.4.a.4. Quoniam Eccleſia vnicum Dominum
5.d.15.Co. & principem ſupremum agnoſcit b, fideles
2.f.18. vniuerſi, quocunque in loco verſentur, ci-
c Ro.12.b.5. ues ſunt vnius eiuſdemque ciuitatis c vt
1.Co.10.d. eius legibus & beneficijs fruantur, id eſt
17.& 12.b. Ieſu Chriſto, & cunctis ipſius opibus. Me-
11.12.13. ritò igitur Chriſtus caput horum omnium
Col.3.c.15.
Pſa.46.a.
5.6.

membro-

membrorum dicitur, quæ videlicet in vnũ corpus coaluerunt, quorum ipſe caput eſt, ſuam illis vitam infundens [d]: quod quum ille vnus poſſit efficere, vnus etiam capitis nomen meretur [e]: Hæc igitur eſt Sanctorũ communio. Nam ſolet Scriptura ſanctos vocare fideles adhuc in hoc mundo ſuperſtites, vtpote in Chriſto per fidem apprehenſo iuſtificatos, & ſanctificatos [f].

V. Eccleſiam vnum duntaxat caput habere, quod nullo ſocio neque ſucceſſore neque vicario indigeat.

Ieſus Chriſtus, vnicum Eccleſiæ caput ob eam cauſam quam paulò antè expoſuimus, cum nullo prorſus communicat hunc dignitatis gradum [g], quemadmodum probus & legitimus maritus nullum ferre poteſt riualem [h]. Eccleſia verò viciſſim, quæ in ſpirituali iſto connubio perſonam caſtæ & pudicæ vxoris ſuſtinet, nullum alium dignatur mariti nomine [i]. Idem nullũ ſucceſſorem requirit, vt qui Deo in æternum viuat [k]: neque itẽ vllo vicario eget. Primùm enim plenè nobis patefecit voluntatem ſuam [a]. Deinde, quum ſit Deus æternus, perpetuò præſens verſatur in medio Eccleſiæ ſuæ, idq; ſingulari cũ efficacia dirigens ſingula corporis ſui membra [b], ſicut promiſit. Neque eſt quod quiſquã miniſteriale ca-

d 1.Cor.1.d.30.Eph.4.d.15.16. Ioh.17.d.19.20.21. Ro.8.f.30.
e 1.Co.3.c.11.
f 1.Cor.1.a.2.& 30.
g 1.Co.3.c.11 Eph.4.d.15 16.
h Exo.20.a.3.5.
i 2.Co.11.a.7.Ro.7.a.4 Eph.5.e.23
k Ro.6.b.9. He.7.d.23 24.
a Ioh.15.b.15.Act.20 f.27. 2.Ti.3.d.16.17.
b Mat.28.d.20.Io.14.d 16.Eph.4.b.10.d.16.

put, vt loquuntur, in Ecclesia requirat, quũ ex verbo Dei expresso nihil tale possit constitui [c], & tot sæculorum experientia satis superq; probet, quantopere sint hallucinati, qui in Ecclesia vniuersalem quempiã Episcopum constituendum putarunt. Deus enim solus est qui huic oneri sustinẽdo par esse possit. Neque de eiusmodi primatu priùs cogitatum est in Ecclesia, quàm miseri mortales iusto dei iudicio fuerint in reprobũ sensum traditi, vel ipso teste Gregorio, qui vniuersalis Episcopi nomen vni Antichristo dixit conuenire [d], & Hieronymo qui Eugubinum Episcopum & quenuis denique aliũ facit parem Romano [e]: & Cypriano qui vnũ esse testatur Episcopatũ, cuius à singulis pars insolidum tenetur [f].

c *Ep.4.b.11. 12.*

d Vide Epist. Gregorij li.4.ep.32. 34.36.38. 39.& li.6. Epist.24. 28.29.30.

e Hier. Epist. ad Euagriũ

f Cyprianus tractatu 3. de simplicitate prælatorum.

VI. Communionem sanctorum non impedire quominus varij sint munerum Ecclesiasticorum gradus.

Christus ita Ecclesiam gubernat per Spiritum suum, vt interea vtatur hominum operа ad plantandum & rigandum, sicut loquitur Paulus [g]. Præterea dona sua distribuit quo tempore, qua mensura, & quibus libuit, ad vniuersi corporis cõseruationem: [h] & præcipit vt omnia domi suæ rite & ordine administrentur [i]. Absit igitur à nobis vt vllam ἀταξίαν inuehamus in Ecclesiã Dei, quæ

g 1.Co.3.a.5. 6.7.& 4.a 1,2.Co.5.d. 19.20.

h 1.Co.12.b. 7.& deinceps.Eph.4 a.10.11.12

i 1.Co.14.g. 40.

quæ ſanè inuehatur neceſſe eſt, ſi omnia Eccleſiæ munera inter ſe paria & æqualia faciamus. Imò verò quid eſt quod maiore contentione petamus, quàm vt politia Eccleſiaſtica ex Dei verbo reſtituatur? Neque etiam vetuſtos Patrum canones repudiamus, modò ad præſcriptum verbi Dei reuocentur, & magna ratio habeatur locorum, temporum & perſonarũ, vt cuncta ad ædificationem referantur. Id, inquam, nos aſſiduè flagitare nunquam deſtitimus, nedum vt ſimus ἄλαλοι & legitimorum Conciliorum, veterumq; canonum cõtemptores, ſicut non deſinunt quidem vociferari. Quum autem ij præter cæteros nobis reſtiterint & adhuc reſiſtãt quos primos oportuerat de inſtaurandis Eccleſiæ ruinis cogitare, quid mirum ſi omni ſpe adempta publici & communis conſenſus, nonnulli principes & ciuitates quædã cognita veritate, ſibi & ſuis priuatim cõſuluerũt? Nam profectò qui ab iſtis Eccleſiæ vſurpatoribus exſpectat legitimam Synodum Oecumenicam, non minùs ineptè facit, quàm ſi fore ſperet vt cõmuni meretricum & lenonum concilio lupanaria abrogentur.

VII. De ſignis quibus vera Eccleſia dignoſcitur ab adulterina.

Duo requirimus igitur in primis. Vnũ, vt vera Dei Eccleſia diſcernatur ab ea quæ tam pretioſum nomen ſibi falsò vendicat. Alterum, vt qui non tantùm ſunt in Eccleſia, ſed etiam ex Eccleſia, diſtinguantur ab ijs qui ex Eccleſia non ſunt, quanuis in Eccleſia verſentur, quatenus quidem ab hominibus cognoſci poſſunt. Conſtat enim Satanam totum eſſe in ſua Synagoga varijs modis & artibus ita fucanda & exornanda vt pro vera Eccleſia obtrudi poſſit: & ſatis liquet nunquam in hoc ſæculo futuram adeò ſynceram & integram Eccleſiã, quin palea & lolium tritico permixtum reperiatur[a]. Itaque operæpretium eſt certa quædam diſcrimina de quibus dicemus, obſeruare, ne quis facilè circunueniri poſſit. Sciendum eſt igitur verum germanæ Eccleſiæ ſignum eſſe prædicationem verbi Dei, in quo ſeſe nobis patefecit Dominus, ſicut declarant Prophetarum & Apoſtolorum ſcripta, quò fit vt à verbo neque Sacramenta, neque diſciplinam Eccleſiaſticam à Deo conſtitutam, ſeiungamus. Neque enim aliud verbum Dei agnoſcimus, neque aliam eius adminiſtrandi rationem. Quamobrem Ieſus Chriſtus teſtatur ſuas oues ſe ſequi, quòd vocem ſui paſtoris agnoſ-

a *Mat.13.c. 24.f.47.& 15.a.7. 1.Co.11.d. 19.*

agnoſcant[b]: neque cùm Apoſtolos ſuos in orbem terrarum dimitteret, poteſtatem eis fecit annũtiandi quicquid eis libuiſſet, ſed potiùs, Ite, inquit, & docete ſeruare omnia quæ præcepi vobis[c]. Sed & Apoſtolus teſtatur ſeſe non aliud Corinthijs tradidiſſe, quam quod à Domino accepiſſet, ac ſtatim ſubijcit hiſtoriam Cœnę Domini, ita prorſus vt eſt ab Euangeliſtis perſcripta[d]. Et idem alibi ſcribit fideles ædificatos eſſe ſupra fundamentum Prophetarum & Apoſtolorum[e], id eſt, niti doctrina ab Apoſtolis & Euangeliſtis plantata in Eccleſia, cuius baſis ac fulcimentum eſt Ieſus Chriſtus. Petrus quoque diſertè declarat, non aliud eſſe verbũ Dei quàm illud ipsũ quod ad nos peruenit per Euangelii prædicationem[a]. Neque dubium eſt quin Apoſtoli non tantùm annuntiarint, ſed etiam perſcripſerint quicquid ad ſalutem noſtram neceſſariò requiritur[b], vt veriſſimũ ſit quod ait Paulus, vniuerſam Scripturam diuinitus inſpiratam, ſufficere ad hominem Dei perficiendum[c]. Ideò etiam Cyprianus[d], *Si ſolus* (inquit) *Chriſtus audiendus eſt, non debemus attendere quid aliquis ante nos faciendum putauerit, ſed quid, qui ante omnes eſt, Chriſtus prior fecerit*. Neque enim homi-

b *Io.10.c.27*

c *Mat.28.d.20.*

d *1.Co.11.c.23.*

e *Ep.2.d.20. Act.17.c.11 1.Pe.1.d.19.*

a *1.Pe.1.d. 21.25.Ro. 10.b.8.*

b *Act.20,f. 27.Gal.1. b.8.*

c *2.Ti.3.d. 15.16.17.*

d *Cypr.ep.2, lib.3.*

nis consuetudinem, sed Dei veritatem sequi oportet, quum per Isaiam Prophetam Deus loquatur, & dicat, sine causa colunt me, mandata & doctrinas hominum docentes. Denique vbicunque verbum Dei purè annuntiatur, Sacramenta purè administrantur, disciplina Ecclesiastica ex præscripto verbi Dei vsurpatur, ibi germanam Ecclesiam Dei agnoscimus, etiamsi paruus sit grex [e], & in speciem prorsus aspernandus [f].

e *Mat.18.e.20.Luc.17.d.31.*
f *Luc.10.d.21.1.Cor.1.e.19.20.& d.26.27.28.*
g *Mat.11.d.27.Ioh.8.f.47.*

VIII. De veris Ecclesiæ membris.

Vera sunt Ecclesiæ membra qui characterem illum habent Christianorum proprium, id est, fidem [g]. Fidelis autem aliquis ex eo agnoscitur, quòd vnicum seruatorē Iesum Christum agnoscit [h], fugit peccatum & studet iustitiæ [i], idque ex præscripto verbi Dei [k]. Etsi enim supersunt in quibusuis multæ peccatorum reliquiæ [l]: tamē permagnum est discrimen inter Filios Dei in quibus Spiritus pugnat aduersus carnē, & eos in quibus peccatum regnat [m]. Denique ij demū sunt Ecclesiæ membra, in quibus (Spiritus, inquam, proprium electorū donum) pugnat aduersus carnem [a], & qui cum Paulo verè possunt testari se facere malum quod nolunt [b], id est, cui non assenti-

g *1.Io.3.b.9 Ro.6.a.2. Gal.5.d.25*
h *Io.4.a.1.*
i *1.Io.4.a.2.*
k *Esa.1.e.22. Ma.15.a.9*
l *Ro.7.c.15. Phi.3.c.13 1.Io.1.b.8.*
m *Ro.6.a.2. & 7.a.4. 1.Io.3.b.8. 9.*
a *Ro.7.a.4. Gal.5.c.16*

sentiuntur nisi quatenus nondum sunt perfectè regenerati. Nam quod ad reliquos homines attinet, cuiuscunque tandem sint status vel conditionis, non sunt numerandi inter Ecclesiæ membra, etiamsi (vt ita loquar) Apostolatu fungerentur[c]. Sed hîc cauendum est, ne vel vlterius progrediamur quam par sit, vel temerè iudicemus. Expectandum enim est Dei iudicium in detegendis hypocritis & falsis fratribus, & Dominus potest suo tempore vocare quoscunque illi libuit[e], & prolapsos in viam reuocare[f].

[b] *Ro.7.c.15.*

[c] *Ioh.6.g.70* *1.Io.2.c.19*

[d] *1.Ti.5.d.* *24.Mat.7.* *a.1.2.& deinceps.* *Ro.4.c.13.*

[e] *Mat.20.a.* *6, 2.Cor.7.* *c.16.*

[f] *2.Cor.2.b.* *6,2.Ti.d.* *24.25.26.*

IX. Signa Ecclesiæ non esse semper in eodem statu siue gradu.

Constat quidem hæc esse vera germanæ Christi Ecclesiæ signa, sed quæ non in vno semper statu permaneant. Accidit enim plerunque vt Deus pro sua incomprehensibili sapientia vindicans hominum perfidiam lucis suæ radios quadamtenus occultet, adeò vt nonnunquam Ecclesia funditus perijsse videatur, sicut euenit eò potissimùm tempore quo Filius Dei in hunc mundum est ingressus, Tunc enim certum est, veram religionem fuisse in Iudæa, tanquam in extremo quodam angulo conclusam. Ibi verò quæ fuit docto-

rum ignorantia? quæ doctrinæ corruptio? quæ hominum improbitas[g]? Ostendit tamen res ipsa firmum permanere Ecclesiæ fundamentum, & aliquem semper extitisse fidelium gregem, qui modò excreuerit, modò fuerit imminutus[a], & vni penè Deo interdum cognitus, sicut apparet ex Eliæ historia[b]. Hinc etiam accidit nostris temporibus vt nulli magis hallucinentur quàm qui Ecclesiam Dei alligant certo loco, & eorum successioni qui sese falsò vocant Episcopos, quum nihil minùs esse quàm Episcopos apertissimè possit ostendi, & ex Dei verbo, & ex vetustis canonibus. est enim profectò facillimũ ex ijs probare omnes illos Hierarchas à maximo ad minimũ ipso iure millies esse excommunicatos, id est ex communione sanctorum electos, tantum abest vt ab eorum vel dignitate vel successione pendeat Ecclesia. Quid ergo? dicet aliquis, quod erit fidelium officium in eiusmodi perturbationibus? nempe vt vbi est cadauer ibi congregentur omnes aquilæ[c], id est, vt vbicunque fuerit fidelis quispiam, & quæcunque sit Ecclesiæ externa facies, cũ Christo capite cohæreat, adhærens nimirũ vnico eius verbo, siue dogmata, siue vitã spectes. Quòd si quis sit in

g *Mat.15.b.14.& 21.d 44.* *Io.1.b.11.* *Luc.11.c.12.Esa.29.c.14.*

a *Mat.28.b.20.*

b *1.Reg.19.b.10.d.18.*

c *Mat.24.c.28.*

orbe

orbe terrarum angulus in quo Dominus, qui nulli neque loco, neque nationi, neque tempori adstrictus est, sceptrum vexillūq; suum, id est, Verbi ministeriū, erexerit, tūc verò filiorum Dei munus est ducem vocātem sequi, & relictis idolis, sese copijs Dei exercituum adiungere, sicut passim admonent Prophetæ [d].

d *Esa. 49. f. 22. & 52. d. 11. 12. 1. Io. 5. d. 21.*

X. De auctoritate Ecclesiæ.

His positis, consequens est vt videamus quæ sit veræ Ecclesiæ potestas & auctoritas, quam quæstionem possumus vno verbo absoluere, si dicamus eam omnem potestatem esse positam in eo vt vni suo marito, id est, Iesu Christo pareat [a]: tum in eo quod omnibus mēbris cum vno capite cohærentibus commune est, tum etiam in propria cuiusque membri functione [b]. Sed planè dignum est hoc argumentum quod particulatim explicetur.

a *Lu. 1. g. 74. 1. Pet. 1. c. 15.*

b *1. Cor. 14. c. 12. Mat. 5. b. 16.*

Itaque primo loco de vniuersi corporis Ecclesiæ: postea de singulorum membrorum vsu & facultate disseremus, eorum dico quæ publica quapiam functione fuguntur.

XI. De auctoritate Conciliorum vniuersalium, ac primum quidem quid hoc nomine intelligatur.

Concilij siue Synodi vniuersalis nomen

propriè declarat cœtum ſingulorum fidelium qui ſimul conuenerint, ne vno quidem excepto. Verum propterea quòd Dominus ſuos ſicut ei libuit, per varias mundi regiones diſperſit [c], neceſſe fuit ordinis cauſa totam illam multitudinem, quæ vnum corpus conficit, in varias claſſes diſtribuere, quas diœceſes & parœcias vocant. Præterea minimè expedit quoties agitur de vniuerſæ Eccleſiæ negotijs, ſingulos fideles conuenire. Itaque in hoc argumento Concilium vniuerſale id vocamus, in quo omnes Eccleſiæ, quoad eius fieri poteſt, conueniunt: quamuis ſinguli fideles nõ adſint, ſed vnus quiſpiam interdũ totius alicuius Eccleſiæ, aut etiam regionis nomine compareat [d].

c *Act. 14. d. 23. Tit. 1. b. 5.*

d *Act. 15. a. 2.*

XII. Penes quem ſit ius conuocandi vniuerſalis Concilij.

Omnia rite & ordine fieri in Eccleſia Dei [a], ac proinde etiam Concilia legitimè cõuocari debent. Conſtat autem præcipuũ hoc eſſe munus Magiſtratus, vt tranquillitatem Eccleſiæ conſeruet [b]. Itaque ſi quis eſt Monarcha Chriſtianus, hoc onus illi incumbit, quoties præſens requirit neceſſitas: ſicut etiam in vetere Eccleſia fuit ſine vlla controuerſia ſub Chriſtianis Imperatoribus

a *1. Cor. 14. g. 40.*

b *1. Ti. 2. a. 2*

ratoribus factum [c], donec ambitiosi Patriarchæ, ac præsertim Romanus, & Constantinopolitanus, omnem politiam euerterent. Sin autem, vt nunc videmus, plures fuerint principes αὐτοκράτορες, eorũ munus est, summo studio in rem istam adeò piam & sanctam conspirare [d]. Quòd si vt plerunque accidit officium suum neglexerint, at certè pastorũ munus est prospicere quantum in se est, ne quid Ecclesia Christiana detrimẽti accipiat, & mutuò sese excitare, vt quoad eius fieri poterit communi consilio consulatur Ecclesiæ commodis, & ita quidẽ vt nullus hîc sit ambitioni locus, & omnis illa thronorum & sedium prærogatiua, opus Domini ne tantillum quidem remoretur [e].

[c] Vide vniuersam historiã Eccl. & præsertim vetustarum Synodorum acta.

[d] *Psa. 2.*

[e] *Vide Act. 15.*

XIII. Quomodo sint eligendi qui ad Concilia mittuntur.

Quum olim fœlicibus illis temporibus rerũ Ecclesiasticarum curatio idoneis hominibus magna cum solicitudine cõmittebatur in timore & tremore Domini, quoties cogebat necessitas Ecclesiarum cœtum conuocare, & mittendi erant qui vel parœciæ vel diœceseos vel etiam vniuersæ alicuius gentis nomine compararẽt, quãuis probabile esset nullos esse procurandis

illis negotijs aptiores quàm qui docendi partes in Ecclesia obibant, tamen magnus erat in ea re delectus: nec mitti solebant alij quàm quos cõstaret communi consensu, & doctrina, & vitæ integritate cæterisque Spiritus sancti donis excellere, sicut ex actis Apostolicis abundè liquet[a]. Nunc igitur ita perturbatis & confusis rebus, quũ eorum grex qui sese hodie prælatos Ecclesiæ vocant, non tam sit hominum cœtus quàm porcorum & asinorum armẽtum, sicut nimium apertè constat: quumque omnes isti à minimo ad maximum expresso iureiurando sese adstrinxerint isti tirannidi modis omnibus defendendæ, aduersus quã necesse est Concilium conuocari[b]: quum, inquam, omnes isti, sine vlla exceptione, per fenestram, data pecunia, sint ingressi in ouile Domini, contra expressum Dei verbum[c], contra Petri minas[d], contra omnem purioris Ecclesiæ morem, contra veteres omnes legitimos Canones & Synodos sine controuersia receptas, ex quibus facillimũ fuerit euincere omnes istiusmodi homines nihil ad Ecclesiam Dei pertinere nedum vt sint eius gubernatores[e]: in ista, inquam, non tam perturbatione quàm euersione rerum omnium, quis tandem stupor

a *Act.* 15, *a.* 2. *d.* 22. *e.* 24. 25. 26.

b Extat iurisiurandi forma impressa.

c *Mat.* 10. *a.* 8.

d *Act.* 8. *d.* 20.

e Vide veterũ conciliorum acta.

por eſt pro Concilio Oecumenico habere cœtum illum in quo vix reperire vel vnum liceat qui meritò poſſit ex Eccleſia Dei cẽſeri, ſi vel in ipſius vocationem vel doctrinam, quæ plerunque non tam falſa quàm nulla eſt, vel mores quouis Epicureo indignos inquiras? Itaq; profiteor me non ſatis videre quomodo poſſint hodie controuerſiæ in cauſa religionis ſuſceptæ dirimi, indicto cum Romanæ Eccleſiæ Apoſtatis concilio ſi quidem illi in ſua non poſſeſſione ſed vſurpatione velint permanere: quod facturos eſſe non dubito, quoniam certum illis eſt quiduis potius pati quàm vt Deus regnet. Si qua tamen concordiæ ſpes ex vniuerſali Concilio ſperari poteſt, id demũ mihi videtur hac ratione poſſe inſtitui, ſi ex ſyncero Cæſaris & Chriſtianorum regum & liberarum ciuitatum conſenſu, nulla habita ratione iſtarum laruarum quæ titulum Eccleſiæ falsò prætexunt, ſingulis Eccleſijs liceret probatæ doctrinæ ac vitæ homines deligere, qui & de Apoſtaticæ Romanæ Eccleſiæ, & de cæteris controuerſijs ex Dei verbo decidant. Sed hoc ſanè perinde eſt ac Platonis rẽpublicam ſomniare. Quis enim hunc conſenſum à principibus & ciuitatibus expectabit? quis illos ventres ad

eas conditiones pertrahet? vnus Deus nimirum qui corda Regũ habet in poteſtate, & iſta perficiet quum volet. Interea ſciant aduerſarij conſilium à nobis non noſtra ſed illorum cauſa expeti. Norint hoc quoque principes & Reſp. nec bene nec prudenter eos facere qui veram & iuſtam cognitionem de his controuerſijs in id vſque tempus differunt, quo futurum ſomniant vt ex Antichriſti auctoritate veritas ſtabiliatur. Norint denique pij omnes, nunquam ſibi magis ab Antichriſto, & cunctis ipſius mancipijs eſſe metuendum, quàm quum aliquod cogendi Concilij & inſtaurandæ Eccleſiæ deſiderium ſimulabunt.

XIIII. Quemuis poſſe audiri in Concilio, modò id rite & ordine fiat.

Spiritus ſanctus ſeipſum patefacit quibuſcunque libuit [a], & quidem ſæpenumero ijs hominibus quos alioquin nemo non aſpernaretur [b]. Id enim iam olim accidit quum omnes Pontifices & Leuitæ aduerſus veritatem cõiuraſſent [c], & noſtro quoque ſæculo ecquis eſt tam cæcus qui hoc ipſum non perſpiciat [d]? Itaque non dubitamus affirmare nefas eſſe vt Eccleſiaſticum concilium præſertim vniuerſale, vtpote quod non niſi maximis & neceſſarijs

a 1.Co.12.c.11.

b 1.Cor.1.d.27.& 8.a. 9.Act.4.c.13.

c Ier.1.b.5. 6.Amos.1.a.1.

d Vide hiſtoriã martyrum noſtri temporis.

rijs de cauſis indicendum ſit, certorum hominum etiam ab Eccleſijs ritè & legitimè delectorum auctoritati adſtringatur, quin nihilominus cuiuis etiam infimo pateat dicendi locus, ita tamen, vt certo ordine conſtituto, nec temerè quiſquam admittatur, nec Spiritus ſanctus in vllo prorſus negligatur[e].

e Vide Nicephorũ Eccl. hiſt. li 8. ca. 14. & li. 15. c. 30.

XV. Quis præeſſe debeat actionibus Conciliorum vniuerſalium.

Sicut vnius Imperatoris mandato cogebãtur olim vniuerſales Synodi, antequàm Romanus Epiſcopus ipſam imperij coronam ſuis pedibus ſubijceret[f], ita etiam nemini dubium eſt quin vel imperatores ipſi, vel ij quos ipſis placuiſſet deligere, rogandis & colligendis ſuffragijs præeſſent, vt ex veterum Synodorum actis liquere poteſt[g]. Quid enim tantopere decet Eccleſiæ nutricios, quàm ſuam auctoritatem interponere vt Deus in pace & tranquillitate colatur? Sed hîc tamen videntur quædam obſtare. Conſtat enim diſcreta eſſe mundi imperia à Verbi miniſterio. Deinde res ipſa oſtendit periculoſiſſimum eſſe principum auctoritati Concilia ſubijcere multis de cauſis. Ita enim accenditur eorum ambitio qui principibus volunt

f Nicephor. lib. 8. c. 14. 49. idẽ li. 9. c. 5. 12. 31. 33. 38. 39. Idẽ 11. c. 3. & alibi paſſim.

g Nicepho. l. 8. c. 18. idẽ lib. 9. c. 39. 43. Idem li 15. c. 30. & alibi paſſim.

gratificari, & è cõtrario multorum ſimplicitas perterrefieri poteſt, inſolita principũ præſentia: vt taceam, quod vtinam verum non eſſet, paucos ſemper principes fuiſſe qui vel tanta tum doctrina tum pietate eſſent præditi quanta ad moderandas eiuſmodi actiones neceſſariò requiritur, vel de his rebus ſeriò ſibi cogitãdum putarint, quum aut quibuſuis potiùs intenti eſſe aut malis potiùs quàm bonis, velut fatali quadam mundi calamitate, aures præbere cõſueuerint. Sed non admodũ difficile videtur iſtis argumentis occurrere. Primum enim cauendum eſſe iudico, ne ita diſcernamus principes huius mundi à verbi miniſtris, vt etiam illos tanquam profanos ſeparemus, qui primus fuit gradus per quem Papiſtica tyrannis in hoc faſtigium conſcendit vnde iam vix deturbari poteſt. Quũ autem nemo inficiari poſſit Principes debere in primis curare vt verbi miniſterium inoffenſo curſu pergat: ad quos, obſecro potiùs pertineat in maximis tempeſtatibus quæ ab ipſis miniſtris plerunque excitantur, Eccleſias conuocare, & in earum cœtu proſpicere vt omnia ritè & ordine fiant, atque adeò ſua præſentia bonos confirmare, malos deterrere? At enim cœtui Apoſtolo-

rum

rum & primarum Ecclesiarum nulli Magistratus politici præfuerunt: Fateor. Quos enim aduocassent? Neque censeo vt ab illorum edictis vel auctoritate pendeat Ecclesia: sed hoc dico, pessimè mihi videri de Ecclesia mereri qui præsidio præsentium Magistratuum priuet Ecclesiam quoties id à Deo conceditur. Nam est quidem, fateor, aliud ciuilium Magistratuũ, aliud Ministrorum munus, si quod singulis propriũ est spectes: sed hoc vtrorunque commune esse dico vt Ecclesiæ paci consulant, & ita quidem, vt illi (quoties Deo visum est hoc beneficio Ecclesias afficere vt pium habeant Magistratũ) præcipui sint custodes τῆς εὐλάξίας, isti verò ex puro Dei verbo, liberè & sanctè, tanquam os Domini quod à pio Magistratu consulitur, omnia constituant, quibus ita posteà subscribant principes, vt sua etiam auctoritate quod ex Dei verbo constitutum fuerit apud suos confirment, & accuratè obseruandum præcipiant.

Si quis exempla requirat quibus id cõfirmetur, respondebo, non aliter mihi videri Dauidem, Solomonem, Ezechiam, Iosiam egisse cum Israeliticæ Ecclesiæ senioribus, & ex veterum Synodorum actis omnino liquere veteres illos orthodoxos

ad vnũ omnes de ciuilis potestatis & Ecclesiastici ministerij finibus regundis non aliter censuisse. Itaque dispiciendũ censeo non vt piorum Principum præsentia excludatur, sed vt suis limitibus circunscribatur, vt hîc sibi longè aliter faciendum meminerint quàm si in suo solio ciuilibus vel audiendis controuersijs vel legibus condendis considerent, quum in Synodo intersint non vt regnent, sed vt seruiant: non vt leges cõdant, sed vt ex Dei verbo per os ministrorum ipsius explicatas, & sibi & alijs obseruandas proponant.

At enim, dicet aliquis, periculum est ne quis aditus ambitiosis ingenijs hac ratione patefiat. Respondeo verum id quidẽ esse, sicut ex turpibus illis & adulatorijs acclamationibus Synodicis apparet, vtpote quæ Theatricis potiùs ludis quàm Synodo conueniant: sed respondeo, præterquam quod fieri non potest vt omnibus incommodis prospiciatur, experientiam ipsam ostendere multò maioribus offendiculis aditum aperiri Principis absentia quàm præsentia. Quid non enim audebunt ambitiosi, leues, temerarii homines, cuiusmodi semper nimium multi inuenti sunt inter ipsos Ecclesiæ ministros, nisi quoties id à Domino cõcedi-

ceditur, aliqua præsentis Magistratus reuerentia in officio contineanturi & quàm verè id à me dicatur non modò ex Seleucianæ, Lãpsacenæ, Ephesinæ prædatoriæ, sed etiam ipsius primæ Nicænæ Synodi actis apparet. Itaque, vt paucis concludam, si cogendum esset vniuersale Conciliũ, quũ neque vni principi omnes Ecclesiæ nunc pareant: nec maxima pars principũ (quod eorum pace dictum sit) ad gubernandam totam hanc actionem in tantis controuersijs & animorum quoque dissidijs satis apta videatur: nec in præsidium multitudine quicquam satis liberè vel pacatè possit cõstitui: necessarium id videretur, vt omnes ij penes quos est summa rerum, siue principes, siue liberarum ciuitatum Magistratus, vtraque ex parte, omni deposita ambitione, communi consensu, in timore Domini, tum de collocutorum numero, tum de Synodi tempore & loco, atque etiam in primis de futuro eius moderatore, totaque adeò actionis forma, ijs conditionibus statuerent, quæ & verbo Dei consentaneæ, & instaurandæ Ecclesiarum concordiæ maximè sint accommodatæ[a]. Iam verò quod ad Episcoporũ, id est, eorũ qui ab Ecclesijs missi fuerint, sessiones & præro-

[a] Niceph. lib. 8. c. 16. & lib. 9. c. 43.

gatiuas attinet, quid attinet vetera Ecclesiæ Christianæ dedecora renoua re? Ex primarijs Patriarchis qui in ferendis suffragijs præibant, quiq; hoc prætextu non destiterunt sese mutuò confodere, donec tandē secum Ecclesiam, Imperatorū ignauia freti, pessumdederūt, vnus pseudepiscopus Romanus supereſt, de cuius auctoritate præcipuè quæritur. Quo iure igitur ille non modò inter iudices sedebit, sed alijs etiā præibit, non quasi vnus ex alijs sententiā dicēs rogatus, sed velut alter quidē Christus sese pro Deo venditans? imò quid aliud fuerit quàm ad stabiliendam eius Tyrannidē cōuenire, nisi quotquot ex ipsius factione cōueniēt, in primis ab eo iureiurando absoluantur quo sese Antichristianæ illi sedi & sanctissimo Domino suo obstrinxerunt? Quid si valeat illa Tyrannica vox, Papam Romanum à nemine mortaliū iudicari, & supra Concilium esse? Audimus quidem quàm multa ipse garriat de Romanæ sedis prærogatiua, sed ex suis decretis, & ijs quidem maxima ex parte, eadē fide confictis qua iam olim vsus est, quū Nicænæ Synodi decretū supponeret, vt Aphricanas Ecclesias inuaderet [a]. Et tamen minimè tū agebat de doctrina suo arbitrio mutāda, de vete-

[a] Vide græca Carthaginiensis concilij acta.

veteribus Canonibus configendis, de omnium beneficiorum Ecclesiasticorũ collatione, de iure transferendorum regnorũ, de patrimonio Petri, denique de horrenda ista Tyrannide ex qua iam nõ patitur se depelli, sed duntaxat vt ad eum prouocare ex Aphrica liceret. Quòd si Dei verbo nititur ipsius primatus, quid attinebat Nicænæ Synodi auctoritatem apud Aphricanos prætexere? & quo iure Nicænã Synodũ habebimus pro orthodoxa [b], quæ Romanũ Patriarcham iubet suis finibus esse contentũ, nec quicquam illi, vt Patriarchæ, amplius concedit, quàm vt in certas sibi vicinas Ecclesias ex veterũ Canonũ præscripto, quum ita opus erit, inquirat, vt omnia ordine cõstituto seruentur [c]? & Carthaginiensi illi Synodo quid fiet, cui subscripsit Augustinus, in qua falsi coarguitur Romanus Episcopus, & disertè inhibetur ne quis trãs mare prouocet [d]? Quid amplius? etsi magnus olim habitus fuit honos Romano Episcopo, propter vrbis dignitatem, tamen non semper alijs præiuisse ne in dicenda quidẽ sententia, (inauditum enim erat vt vniuersale Concilium quisquam indiceret, vel ei alius præesset quàm vel Imperator ipse, vel ab Imperatore delecti,) partim ex Syno-

b Niceni cõcilij. c. 6.

c Antiocheni concilij. cap. 9. & Const. primi cap. 2.

d Vide Acta græcè edita Synodi Carthaginiensis an. 28. qui canon habetur 22. in Mileuitani Concilij actis latinè editis.

dorum actis, partim ex Leonis ad Martianum Imperatorem Epistolis apparet. Imò in Prouinciali quoque concilio Carthaginiensi, Faustinus Romani Episcopi legatus, non nisi secundus ab Aurelio Carthaginis Metropolitano inter subscriptores inuenitur. Desinat igitur ille Tyrannidem suam adeò impudenter vrgere, aut à pijs principibus ita vt æquum est compescatur. Quem autē ordinem hoc quidem tempore ab ijs obseruandū arbitrer in constituendo vniuersali Concilio, abundè iam à nobis dictum est. Et constituta etiā Ecclesiæ pace, quàm & periculosū & ineptū sit, certis sedibus attribuere eiusmodi περιοβεῖα infinitæ penè calamitates Ecclesiæ, ac præsertim ista Romani pseudepiscopi Tyrannis, declarant.

XVI. Quantum tribuendū sit auctoritati Synodorum.

Sunt qui Ecclesiasticas Synodos, vt res nihili aspernentur: è contrario verò nō desunt qui sine exceptione quicquid ab illis receptum est, pro Dei oraculo recipiendū putent. Vtrisque quod mirum est, Romanus Proteus assentitur, vt qui non dubitet quoties libuit, id est quoties pro se aliquid potest inde corradere, Synodorum auctoritatem verbo Dei opponere: & rursus, quoti-

quoties vel inde conuinci potest ipsius Tyrannis [a], vel aliqua spes lucri ostenditur, [b] Canonum omnium auctoritatẽ palàm ac nominatim abrogare. Nos verò longè aliam rationẽ nobis sequendam arbitramur. Neque enim dubitamus quin Dominus, sicut promisit, ita etiam intersit suorũ cœtibus rite in ipsius timore congregatis, etiam si duo vel tres duntaxat conuenerint [c]: ac proinde non ambiginus quin multò magis vniuersum aliquem Ecclesiasticum cœtum sancto suo Spiritu regat [a]. Sed hoc quoque non ignoramus, veritatẽ Dei longè solidiore ac firmiore fundamento niti quàm hominũ opinione, siue pauci fuerint siue multi [b]: neque extra communem hominum sortem qui & ignorantiæ & erroribus sunt obnoxij, alios ponere didicimus quàm eos vnos qui Dei impulsu rita sunt loquuti, vt sint omni exceptione maiores; [c] Prophetas videlicet & Apostolos, per quos nobis Dominus voluit voluntatẽ suam perscribi in vtriusque testamenti libris quos Canonicos vocant. Nam ipsa quoque experientia cõfirmat non modò hypocritas, ignaros, malitiosos, pseudoprophetas in Ecclesia sæpenumero auctoritatem obtinere: sed etiã optimis quibusque non

a Sic saltem abolitam constat Pragmaticam Sanctionem quam vocant.

b Legantur, si libet, clausulæ Bullarum quas derogatorias vocant.

c *Mat.* 18. *c.* 20.

a *Act.* 15. *c.* 28, 1. *Co.* 5. *b.* 4.

b 1. *Cor.* 7. *d.* 23.

c *Ro.* 1. *a.* 5. & 10. *b.* 8. 1. *Ti* 3. *d.* 41. *Gal.* 1. *a.* 1. & *b.* 8. 2. *Pet.* 1. *d.* 12. 20. 21. & 1. *Pet.* 1 *d.* 25. 1. *Thes.* 2. *c* 13.

omnia vno tempore & loco patefieri, ſicut ex earum quoque Synodorum repugnantia conſtat, quibus doctiſſimi etiam & religioſiſſimi homines non interfuerunt tantùm, verùm etiam præfuerunt. Itaque modum hunc tenendum arbitramur, vt neque Synodorũ iudicia ſtatim aſpernemur, niſi quas palàm apparuerit non legitimè coactas & aduerſus veritatem comparatas, cuiuſmodi iam olim nimiùm multæ fuerunt: neque etiam ab illis ita pendeamus quin verbo Dei, per ſe ad conſtituenda præcipua dogmata ſatis plano ac perſpicuo, ſua integra & illibata auctoritas ſeruetur. Rectè igitur Auguſt. *Cedamus*, inquit, *auctoritati Scripturæ ſanctæ quæ neſcit falli, nec fallere* [d]. *Hominum eſt labi, hallucinari, falli, fallere, decipi, decipere*. Et alibi, *Epiſcoporum*, inquit, *literas quæ poſt confirmatum Canonẽ* (Canonem autẽ appellat libros vtriuſque Teſtamenti communi Eccleſiæ conſenſu receptos) *vel ſcriptæ ſunt, vel ſcribentur, & per ſermonem fortè ſapientiorem cuiuſlibet in ea re peritioris, & per aliorum Epiſcoporum grauiorem auctoritatem, doctorumq; prudentiam & per Concilia dicimus licere reprehendi, ſi quid in eis à veritate deuiatum eſt: & ipſa Concilia quæ per ſingulas regiones vel prouincias*

d Aug. lib. 1. de peccat. mor. ca. 22. Idem lib. 11 cõtra Fauſtum. ca. 5.

uincias fiunt, plenariorum (id est generaliũ) *auctoritati, quæ fiunt ex vniuerso orbe Christiano, sine vllis ambagibus cedere: ipsaq; plenaria sæpe priora posterioribus emendari quũ aliquo experimẽto rerum aperitur quod clausum erat, & cognoscitur quod latebat: sine vllo typo sacrilegæ superbiæ, sine vlla inflata ceruice arrogantiæ, sine vlla contentione liuidæ inuidiæ, cum sancta humilitate, cum pace Catholica Christiana*[a]. Hactenus ille, & quidem de Cypriano loquens. Sed isti nimirum nobis arrogantiam obijcient, quod ab eis discessionem fecerimus. Quasi verò non illi ipsi manifestè à Christo, & omnibus veteribus orthodoxis defecerint: quod si negare audent, agè, cur congressum recusant? Quid si verò cum Ambrosio dicamus[b], sceleribus plenum esse quicquid ab Apostolis traditum non est? Certè Iesus Christus damnatus est à principe sacerdotum & Concilio legitimè congregato, si formam exteriorem & successionem, vt isti volunt, non autem successores, spectes. Et censuit Concilium Aphricanum cum Cypriano, fideli Christi martyre, rebaptizandos esse qui ab hæreticis sunt baptizati. An propterea Christum iterum crucifigemus, & cum Anabaptistis consentie-

[a] Aug. de. baptismo contra Donatistas li. 2. c. 2.

[b] 1. Cor. 4.

mus? Atqui, inquient, Ecclesia Catholica postea aliter decidit. Rectè sanè. Cur igitur nobis quoque per tot annos omni crudelitatis genere vexatis, non conceditur, vt Romanæ meretricis scortationes in dubiũ vocentur, & coram Ecclesia Catholica, sub legitimis iudicibus coarguantur? Sed ne cõuicijs certare velle videamur, agè, quænam sit conciliorũ auctoritas, & quibus finibus circunscripta disseramus.

XVII. Cur indici consueuerint Synodi in Ecclesia Christiana, & quæ sit earum potestas.

Affirmamus nullam vnquam Synodum Christianam vel fuisse indictam vel ĩdici posse ad nouum aliquem Fidei articulum condendum, idque duplici de causa. Primũ enim vnius Dei est exponere quid vel sit vel non sit peccatum, quoniam vnus habet imperium in hominum conscientiam ac fidem, quò fit vt nullus vnquam hoc ius sibi arrogarit quin Deũ ipsum quodãmodo voluerit è suo solio deturbare[a]. Deinde ambigi non potest quin Deus iam olim veterem illum populum abundè in doctrina salutis erudierit, primũ per Patriarchas quibus sese varijs visionibus & oraculis patefecit, prout ipsius sapientiæ visum est: deinde per Mosem, à quo non ore tantũ, crescẽ-

[a] *Col. 2. d. 23. 1. Cor. 7. d. 23. Mat. 15. b. 9.*

te

te nimirum hominũ improbitate,& decrescente vita,sed etiam scriptis tradi voluit[b], tũ quæcunq; superioribus seculis ad salutẽ necessaria miseris mortalibus declarata fuerant,tum etiam quæ ad Christi vsq; aduẽtum sufficerent ad Ecclesiæ salutem:quò fit vt disertè Dominus edicat ne quis huic doctrinæ quicquam adijciat aut detrahat[a], tãtum abest vt fas fuerit cuiquam hominũ aliquid in ea mutare[b]. Successerunt autem Mosi Prophetæ, non qui leges conderent, sed qui Legem explicarent & suis seculis applicarent,& verum vsum tum Legis tum promissionum ostenderent,sicut ex eorum concionibus liquet. Tandem verò expletis vmbrarũ tẽporibus, Dominus ipse ad nos descendens pleniſſimã lucem in hunc mundum intulit,Patris cælestis voluntate prorsus nobis patefacta[c]: & quum rursus à nobis ad patrem rediret, minimè nos reliquit orphanos, sed Spiritum suum tãta mensura effudit in Apostolos & alios à se delectos,vt omnem veritatem (quantum quidem salutis nostræ intererat) ipsorum animis instillarit, vnde mox in vniuersum orbem terrarum inundaret[d], ab illis nimirum & verbis explicata, & scriptis nunquam interituris tradita, ne tam

b *Heb.1.a.1. Deut.21 f. 24,2.Ti.3. d.16.21.*

a *Deu.4.a.2 & 12.d.32 Esa.1.c.11.*

b *He. 2.a.2. 1.Cor.11.c 22.*

c *Io.15.e.15 Heb.1.a.1.*

d *Io.14.d.26 & 16.b.13. Mat.28.d. 20.*

facilè Satan miseris mortalibus imponeret, suarum præstigiarum obtentu[e]. Apostoli igitur omnem operam sedulò adhibuerunt, nequid vel celarent vel adulterarent, & omne Dei consilium mundo aperuerunt. Id verò ipsorum successoribus, id est synceris pastoribus & doctoribus, simili ratione neq; datum est neq; dari debuit. Fuerunt enim illi Spiritus sancti interpretes, omni exceptione maiores, ad plãtandas Ecclesias: ac proinde satis est illorum successoribus, si in sua quisque Ecclesia super illorum fundamentum rectè edificet[a], neque ad dextram declinans neque ad sinistram. Nam, obsecro, siquid ignorarunt Apostoli quod ad salutem requireretur, quis tãdem hominum illud sibi cognitum esse, sine extrema impudentia, iactabit? & quî constabit veritas sermoni Christi contrarium affirmantis[b]? Imò qui tandem ipsi salui facti essent? Restat ergo vt confiteamur probè illis cognitam ac perspectam fuisse vniuersam salutis doctrinam. Quòd si ita est, vti sanè est, & eam illi subticuerunt, quid obstat quominus vt perfidiosi damnentur[c]? Sin autem illam quidem integram voce annuntiarunt, sed editis libris aliqua tãtum ex parte explicarunt, quis tãdem

e Act. 20.e. 27. Gal. 1. b. 8.

a 1. Co. 3. b. 11. Eph. 4. c. 11 12. 13. 14. & 2. d. 20.

b Io. 4. d. 26. & 16. b. 13.

c 2. Ti. 4. b. 7 1. Cor. 4. a. 1 2. 4. Matt. 28. d. 20.

dem meritò in ipſorum doctrina conquieſcet aut cur his verbis vtitur Auguſtinus de traditionibus agens, quas vocant Apoſtolicas? *Si quæ*, inquit ille [d], *reticuit Ieſus Chriſtus, quis noſtrum dicet hoc vel illud eſſe? & ſi quis hoc dicat, quomodo probabit?* Itaque ex his efficitur Eccleſiæ fundamẽtum euerti, & Ieſum Chriſtum vnicum Eccleſiæ caput [e], ſponſum [f], Dominum [g], ac legiſlatorem [h], ipſoq; adeò prophetas & Apoſtolos [i] vna cum ipſo Dei Verbo [k] & omnibus orthodoxis Patribus, inſigni contumelia affici ab ijs qui fas eſſe exiſtimãt cuiquam etiam Angelo [l], nedum homini licere vt vel tantillum verbo Dei ſcripto vel detrahat vel adijciat.

Cauſa vero duplex eſt cur iam olim vnà conuenerint Eccleſiæ. Vna vt, puram doctrinam in verbo Dei comprehenſam, aduerſus hæreticos aſſererent, & quod à Prophetis & Apoſtolis tum annuntiatum, tum etiam ſcriptum eſt, aperto ſuo teſtimonio apud omnes bonos approbarent: minimẽ id quidem quaſi verbi Dei auctoritas nitatur hominum teſtimonio, vel vt quicquam adijcerent Dei verbo, ſed eo cõſilio vt & ſibi & ſuis poſteris aduerſus Satanam & eius ſynagogam conſulerent [a].

d Vide Aug. in ep. ad Ianuarium.

e *Ep.* 1. *d.* 22. & 4. *c.* 15.

f 2. *Co.* 11. *a.* 2. *Ro.* 7. *a.* 4

Ep. 5. *g.* 30. 32.

g 1. *Co.* 8. *b.* 6.

h *Ia.* 4. *c.* 12.

i *Ep.* 2. *d.* 20

k 2. *Tim.* 3. *d* 16. 17.

l *Gal.* 1. *b.* 8. 1. *Cor.* 11. *d.* 23.

a *Act.* 15. *a.* 2. *b.* 7. *c.* 25 *e.* 28.

Credimus ergo veræ & germanæ Ecclesiæ Dei, cuius notas suo loco descripsimus. Credimus, inquam, Ecclesiæ, non quasi Dei verbum quo vno nitimur, ab illa pendeat [b], sed è contrario quoniam illa verbo nititur in quo extat solida & firma Dei veritas, & hac ratione dici potest Ecclesia columna & firmamentum veritatis, cuius videlicet fidelis est testis [c]. Et hac ipsa de causa non habemus pro Ecclesia, sed pro Saranæ Synagoga omnes illos cœtus qui ab hac veritate deflectunt [d], neq; pro vera Christi sponsa, sed pro meretrice ducimus illam quæ extranei vocẽ audit [e], quantumuis sese pro vera & casta Christi sponsa venditet.

b 1.Co.3.b.11.

c Act. 17.c. 11.1.The. 5.d.21.1.Io 4.a.1.1.Ti. 5.d.15.

d Gal.1.b.8. Col.1.d.23. & 12.b.10. d.18.19.

e Ro.7.a.3.4 Io.10.a.3. 4.5.

Altera causa fuit conuentuum Ecclesiasticorum, vt disciplinæ Ecclesiasticæ canones, & vt paucis omnia comprehendam, vt politiam Ecclesiasticam pro diuersa tẽporum, locorum, & personarum circunstantia constituerent. Necesse enim est vt in domo Dei omnia ordine fiant [f], cuius ordinis vna quidem est vniuersalis ratio ex verbo Dei petenda, sed non vna & eadem forma quibusuis circunstantijs conueniens. Sunt autem in condendis politiæ Ecclesiasticæ legibus hæc tria præcipuè consideran-

f 1.Co.14.g. 4.

sideranda.

XVIII. Quid primo loco sit considerandum in politia Ecclesiæ constituenda.

Primum omniū danda est opera vt doctrina ipsa in cuius cognitione & vsu posita est salus, accuratè distinguatur à ritibus, qui etsi ad ædificationem pertinent, tamen proptiè respiciunt ordinem & decorum illud quod debet in Ecclesia Dei seruari. Nam doctrina, cuius partē meritò facimus administrationem Sacramentorum, Conscientiam attingit, & tantum abest ab eo vt ab hominum nutu pendeat, vt contra nefas sit illam non obseruare, & vel tantillū ei adijcere vel detrahere. Regulæ autem illæ siue canones spectant potiùs τὸ περίπου in rebus exterioribus, ideoque neque sunt vniuersales, magna ex parte, neque perpetuæ. Quod enim alicubi prodest ad ædificationem, alibi potius noceret: & adeò quoq; diuersa est temporum ratio, vt quod optimis de causis aliquādo fuit constitutū, necesse sit interdum abolere: quò fit vt magna in veteribus Canonibus non tantùm varietas, sed etiam repugnantia inueniatur. Quum igitur eiusmodi constitutiones, etsi quod attinet ad finē & fundamentum, nempe generale illud decorū quod nobis

obſeruandum præcipitur, diuinæ ſunt ac cæleſtes, tamen humanæ ſint ac mutabiles ſi ſpecialem formam ſpectemus, conſequitur illas non per ſe propriè obligare conſcientiam, ſed, ſi quidem probæ & iuſtæ ſunt, hactenus nos illis obligari vt ædificationi Eccleſiæ cedant, & offendiculum vitemus, cuius rei exemplum hoc eſto: In Synodo Apoſtolica quæ Hieroſolymis coijt, declaratur nos ſola Dei gratia per fidem iuſtificari, aduerſus eos qui Circumciſionem volebant cum gratuita peccatorum remiſſione coniungere: & præterea inhibetur ſcortatio[a]. Hanc doctrinam dico ab huius Cõcilij auctoritate nõ prodijſſe, ſed ab eo dũtaxat meritò fuiſſe comprobatam, quoniam hæc eſt doctrina quam Deus ab initio patefecit mundo: & Prophetarum voce ac ſcriptis ſanciuit. Præterea in eadem Synodo decernitur vt qui ex præputio ad Chriſtum acceſſerant, abſtineãt ab idolothytis, & ſanguine, & ſuffocato. Hãc poſteriorem partem dico à ſuperiore diſtinguendam eſſe, vtpote quæ ſimpliciter & per ſe non reſpiciat cultum Dei, ſed exteriorem duntaxat vitam, idque excellentioris finis reſpectu, nempe vt hoc modo Iudæi ab incircũciſorum conſuetudine non abhorrentes, eò

[a] Act. 25.

faciliùs

faciliùs ſeſe perſuaderi paterentur, & in vnum corpus in Chriſto coaleſcerent [b]. Nã alioqui diſſentirent à ſeipſis Apoſtoli, vt qui initio præfentur ſolam gratiam nos iuſtificare per fidem, abſque operibus legis [c]: & Chriſto repugnarent, qui teſtatur ea quæ intrant in os non polluere hominem [d]: & Paulus qui huic Synodo interfuit ſibi cõtradiceret, vt qui poſtea ſit teſtatus omnia munda eſſe mundis: regnum Dei non eſſe poſitum in eſca & potu [e]: & diſcrimina ciborum eſſe Diabolicam doctrinam [f]: & hoc tantum requirat vt omnibus ſobriè vtatur cum gratiarum actione, & noſtram libertatem ad ſtabiliendos infirmos accõmodemus, ſicut lex charitatis iubet [g]. Iſti igitur qui hoc diſcrimen non admittunt, vel nobis oſtendant cur Apoſtolicum illud ſtatutum nunc non vrgeãt, aut cur ſibi plus liceat quàm Apoſtolis, vel Dei veritati cedant, & nobiſcum deinceps ſtudeant gloriæ Dei verè & ſeriò inſeruire, pro eo quòd abutentes Eccleſiæ auctoritate [a], ventri & ambitioni ſeſe hactenus manciparunt.

b *Act.* 15.d. 20.21.c.28 29.

c *Act.* 15.c.9 10.11.

d *Ma.*15.*b.*11

e *Ro.* 14.*c.*14 17, 1.*Co.*8. *c.*8.*Col.*2.*c* 16.*d.*21.22 23.*Tit.*1.*d.* 14.15.

f 2.*Ti.*4.*a.*3

g *Vide Rom.* 14.15.*&* 1 *Cor.*8.

a *Col.*2.*b.*8.

XIX. Quod ſecundo loco ſit conſiderandum in politicis Eccleſiæ legibus.

Quum iſtiuſmodi conſtitutionum hic

præcipuus sit finis, vt dum omnia decenter & ordine fiunt, quiuis in doctrina salutis proficiat, consequitur sedulò cauendum esse non modò ne vel inutiles sint vel ineptæ, néve quid in se superstitionis habeant, sed etiam vt tales sint quoad eius fieri poterit, vt homines suapte natura proni ad idololatriam & hypocrisin, non facilè possint illis abuti. Idque vt diligentiùs caueamus, admonere nos debet miserabilis ista Christianæ Ecclesiæ deformatio, quam sanè facillimum esset ostendere maxima ex parte ex eorũ præposteradiligentia ortam, qui dum voluerunt cæremonias Iudaicas & profanas ad nostros vsus accommodare, non animaduerterunt sese aditum patefacere Satanæ ad lucem Euãgelij prorsus obscurandam.

XX. *Quid tertio loco sit in politicis Ecclesiæ legibus spectandum.*

Quum homines suis commentis mirificè delectentur, & ad superstitionem vehementer sint procliues, & sublatis cæremoniarum vmbris fœlix illud tempus nobis illuxerit, quo vult Dominus coli in Spiritu & veritate, id est puriore quodam & ad naturam Dei propius accedente cultu[a], cauendum est in primis ne multitudo cæremoniarum

[a] *Io.4.d.23. Gal.2.a.4. & 5.a.1.* Vide ep. integram ad Hebræos.

moniarum ſiue rituum inuehatur: deinde ne quid ſtatuatur cuius vel neceſſarius vel maximus non ſit vſus. Itaque, quod ad noſtras Eccleſias attinet, profitemur maximè nobis probari puritatem Eccleſiarum quæ ſub ipſis Apoſtolis viguit, idque non idcirco duntaxat quod certũ ſit illos fuiſſe omnium hominum & prudentiſſimos & ſanctiſſimos: ſed etiam quód Eccleſiarum ruinam quæ mox excepit illorũ tempora, nullis potiùs imputandã arbitremur quàm ijs qui in illorũ ſimplicitate acquieſcere noluerunt, quaſi in rebus medijs (quales ſunt ſuapte natura Cæremoniæ & ritus) fas ſit nullum modum tenere. Sed ad hunc erroré acceſſit poſtea vel ſtoliditas vel improbitas eorum quos nõ puduit Apoſtolis tribuere quicquid ab incertis initijs profectum erat, quum pleraque ſint eiuſmodi vt ne in mentem quidem Apoſtolis venire potuerint: & qui de eorum auctoribus diſputant, contrarijs inter ſe teſtimonijs facilè poſſint conuinci [b]. Certè nemo ſani iudicij inficiabitur optimam eſſe ſimplicitatem & paucitatem rituum, in ea religione quæ homines è terris in cælũ attollit: & Ieſum Chriſtum quò nudior eſt, eò nobis melius patere, quum è contrario falſæ om-

b Vide Aug. in epiſt. ad Ianuarium.

nes religiones ſoleãt exterioribus quibuſdã geſticulationibus homines à rebus diuinis auocare. Quod ſi ſeſe res aliter haberet, quæſo, quid opus fuit Moſaicæ Legis cæremonias abrogari, quæ Dei ipſius voce fuerant conſtitutæ? an vt aliæ poſtea ab hominib⁹ excogitatæ, illis ſuccederẽt [a]? Meritò igitur Auguſtinus quanuis homo eſſet patientiſſimi ingenij, tamen de Cęremoniarum multitudine conqueritur [b], qui ſi vidiſſet quæ poſtea non ex Eccleſiæ auctoritate ſed ex cuiuſque arbitrio introducta ſunt, quos tandem ſuſtuliſſet clamores? Et hæc quidem dicta ſint de ijs quæ prorſus vel inutilia vel inepta ſunt. Nam quod attinet ad impia & ſuperſtitioſa, cuiuſmodi ſunt pleraque, quid attinet de ijs dicere? Scimus tamen nihil eſſe tam impium quod obiecta Eccleſiæ auctoritate à quibuſdam non defendatur, quaſi videlicet ſit ſatis obtendere inane & falſum Eccleſiæ nomen. Sed agè, detur nobis locus ad dicendum, & niſi pleraque oſtendamus à Diabolico ſpiritu inuecta, in quibus hodie homines imperiti ſummam pietatis ponunt, temeritatis noſtræ pœnas demus.

a *Io.2.c.11. Mat.1.b.11 Act.10.b. 15. Col.2.c.16. 17.*

b Aug.ep.ad Ianuariũ.

XXI. Quid ſit ijs reſpondendum qui Conciliorum auctoritatem nobis obijciunt.

Hic

Hic est igitur Conciliorum scopus: quod quum ita sit, vt paucis omnia complectar, tantum abest vt, quod nonnulli dictitant Concilia repudiemus, vt è contrario parati simus ostendere Concilia à nullis turpiùs & impudentiùs conculcari quàm ab ijs qui nobis hunc contemptum obijciunt. Sed hoc tamen profitemur, nobis nefas videri eò vsque Concilia extollere vt fides auctoritate illorum tanquam fundamento nitatur, quum Paulus ipse, qui tamẽ multorum instar erat, hoc ius vni Christo Iesu integrum seruet[a]. Primùm igitur obseruandum dicimus quænam Concilia proferantur, quomodo, quo tempore, quo loco, à quibus, & quo fine conuocata & celebrata fuerint, quoniam multò plura illegitima Concilia quàm legitima comperientur, si quis omnes istas circumstantias expenderit: & nullũ ius est vel diuinum, vel humanum quod nos cogat non satis idoneis testibus credere. Sed in primis expendendum est ipsum doctrinæ genus, nũ videlicet hausta sit ex Dei verbo, & cum hac regula veritatis prorsus consentiat, sicut olim factum est à Beræensibus[b], & Apostolus fieri iubet[c]. Denique credimus Ecclesiæ vt testi, quatenus vera est Ecclesia &

a 1. Cor. 7. b. 10. 12. c. 25 f. 35.

b Act. 17. c. 11

c 1. Thes. 5. b 12.

verbo Dei consentit: & eos à quibus hodie oppugnamur, vt Ecclesiæ & Conciliorum hostes auersamur, cuiusmodi nimirũ erant olim Pharisæi: vtpote qui videri volebant columnæ Ecclesiæ, quum tamen suis traditionibus mandata Dei abrogarent, & neque ipsi in regnum cælorum introirent, nec alios ingredi paterentur.

XXII. De Synodis particularibus, id est, Prouincialibus vel Nationalibus, quas vocant.

Quid olim fuerit constitutum de prouincialibus Synodis à Metropolitano cogendis, abundè liquet ex veteribus canonibus. Neque verò nos ij sumus qui, si instauratæ essent Ecclesiarum ruinæ, vel hunc vel alium non dissimilem ordinem repudiandum arbitremur. Sed duo hîc requirimus in primis, nempe ne qua rursus tyrannis in Ecclesiam inuehatur, quasi certæ cuipiam sedi vel personæ sit alligatus Spiritus sanctus: deinde vt omnia ad ædificationem referantur, veteribus ipsis canonibus ad hunc finem reuocatis.

XXIII. Quot sint species ordinariarum functionum in Ecclesia legitimè constituta.

Hactenus à nobis dictum est de vniuersi corporis Ecclesiæ potestate. Superest vt de præcipuis eiusdem corporis membris disseramus,

ſeramus, quæ quidem mihi videntur commodiſſimè diuidi poſſe in quatuor ſpecies. Nam eorum qui publico munere funguntur in Eccleſia, alij annuntiando verbo, alij diſtribuendis Eccleſiaſticis bonis, alij diſciplinæ & politiæ Eccleſiaſticæ præſunt: alij denique partim adminiſtrant ciuilia negotia, partim Eccleſiæ tranquilitatem in genere procurant ac tuẽtur, & quidem accepta in hos vſus gladij poteſtate[a]. Nam qui ab Eccleſiaſticis Laicos, quos vocant, ſepararunt, quaſi & iſti non ſint Eccleſiæ membra, planè ſecreuerunt quæ Deus cõiunxit, quum paſſim in Scripturis Reges vocentur Chriſti Domini[b], perinde vt Prophetæ & fideles reliqui[c]: & Petrus appellatione Cleri, (quo nomine ſignificatur hæreditatis portio) totam Eccleſiam Dei, vt ipſius videlicet portionem ac peculium comprehendat[d].

a 1. *Tim.* 2. *a.* 2.

b Hoc paſſim occurrit in libris Regum, & Pſalmorum

c *Pſa.* 105. *b.* 5.

d 1. *Pe.* 5. *a.* 3

XXIIII. De munere Apoſtolorum, Euangeliſtarum, & Prophetarum, in primitiua, quam vocant, Eccleſia.

Reperimus in verbo Dei quinque gradus eorum qui poſt Chriſti aduentum, docẽdis Eccleſijs præfuerũt. Recẽsẽtur enĩ Apoſtoli, Euãgeliſtæ, Prophetæ, Paſtores & Doctores[a], qui omnes generali nomie in-

a 1. *Co.* 12. *d.* 28. *Eph.* 4. *c.* 11.

terdum vocantur Episcopi, id est, inspectores[b]: interdum Diaconi, id est, ministri[c]: & interdum quoque Presbiteri, quasi Senatores dicas[d]. Ex his autem quinque gradibus non ambigimus quin tres primi fuerint temporarij, quatenus videlicet instituti fuerunt ad id tempus quo plantandę erant Gentiliū Ecclesiæ, & Israel à Mose ad Christū traducendus. Nam Apostoli fuerūt ἀμέσως ab ipso Christo designati, ęquali inter se potestate[e]: futuri ædificij velut primarij architecti[f], nulli certæ Ecclesiæ adstricti, velut nonnulli de Petro fabulantur, quem ex Apostolo Romanum Episcopum faciunt, sed in vniuersum orbē terrarum missi[g], prout Spiritus Domini eorum gressus regebat[h], sicut ex Actis Apostolicis constat, non autem ex fabulosis & blasphemis Abdiæ cuiusdam Babylonij, vel alterius cuiuscūque scriptis, quæ nuper non puduit nonnullos Ecclesiæ Dei obtrudere. Euangelistæ verò, comites & σύνεργοι erant Apostolorum, cuiusmodi fuerunt Timothæus, Silas, Titus & alij Pauli comites, quorū opera in ijs rebus vtebatur quibus ipse vnus sufficere non poterat[i]. Prophetas autem constare potest ex ijsdem Actis Apostolicis, certo loco fuisse magis adstrictos

b *Act.20.f. 28.Phi.1. a.1.*
c *1.Co.3.a.5 Col.1.a.7.*
d *Act.20.d. 17,1.Pe.5. a.1.*
e *Mat.18.c. 18.Luc.22 c.25.Act.1 b.8.*
Cypria.de simpli.prę latorum.
Aug.ho.50 in Ioh.
Gal.2.b 9.
f *1.Co.3.b.10 Ro.15.e.20*
g *Act.1.b.8.*
h *Act.16.a. 6.7.*
i *Act.16.a. 3.& 14.d. 15,1.Ti.2. a.3,2.Ti.4 b.5.Tit.1. b.5.*

strictos, & singulari quadam intelligentia mysteriorũ Dei fuisse donatos, adeò vt interdum quoque pollerent dono prædicendi res futuras, quatenus Domino videbatur signis & miraculis nascẽtem Ecclesiam confirmare[a]: Supersunt igitur Pastores & Doctores quorum munus perpetuum est in Ecclesia, sed ea mensura qua Domino libuit: sicut suo loco exposuimus[b].

[a] *Act.* 11.*d.* 27.28.*&* 21.*b.*9.10.

[b] Supra art. 9.

XXV. De munere Pastorum & Doctorum.

Horum Doctorum officium est in genere, administrando sermoni, & precibus habendis incumbere[c], sub quibus etiam comprehendimus Sacramentorum administrationem, & Nuptiarum benedictionem ex perpetuo Ecclesiæ vsu, quanuis sæpe Diaconi in his rebus suppleuerint Pastorũ vices[d]. Hæc sunt igitur quæ Christus vocabulis soluendi & ligandi, aperiendi & claudendi, & clauium quoque nomine significauit[e]. Quoniam enim cœlum nobis tanquam domicilium quoddam perpetuũ proponitur, ad quod vnus est additus per Iesum Christum[f], & rursus ad Christum vna fides nos deducit[g], quæ quidem in nobis creatur ac fouetur à Spiritu sancto per Verbum & Sacramenta, sicut suo loco explicauimus[h]: idcirco Pastores quibus com-

[c] *Act.* 6.*a.*4. 1.*Ti.*4.*d.* 13.

[d] 1.*Cor.* 1.*c.* 14.15.*&* *deinceps.* *Io.*4.*a.*2.

[e] *Mat.* 16.*c.* 19.*&* 18.*c* 18.

[f] *Io.*14.*a.*6. *&* 10.*b.*9.

[g] *Co.*2.*b.*6.7

[h] *Ro.*4.*b.*11. *&* 10.*c.*17. 1.*Pe.*1.*d.* 23. *Act.*8. g.37.

missum est munus prædicādi Verbi & Sacramentorum administrandorum dicūtur gestare claues regni cælorum [i], quoniam per sermonem reconciliationis [k], Mundus ad vitam æternam adducitur. Præterea quoniam peccata, tanquam vincula quædam nos constrictos tenent & prædicatio Euangelij annuntiat nobis liberationem à peccato, morte, & Diabolo [l], ideo dicuntur ministri ligare & soluere, ex Dei auctoritate. Sed tria hîc obseruanda sunt quæ mox subijciemus.

i *Mat. 16.c. 19.& 18.c. 18.*

k *2.Cor. 5.d. 19.*

l *Act. 26.d. 18.Esa.61. a.1,2.Ti.2 d.25.26.*

XXVI. Discrimen esse inter Pastores & Doctores.

Primùm igitur sciendum est aliquod esse discrimen inter Pastores & Doctores. Nam Doctorū munus est, verbum Dei simpliciter enarrare [a], vt verus sensus eruatur. & Catechumenos præsertim instituere, quo munere functus est Origenes in Ecclesia Alexandrina [b]. Sed Pastores longiùs progrediuntur, vt qui in suis concionibus doctrinā verbi applicēt Ecclesiæ vsibus publicè ac priuatim precādo, exhortādo, cōsolando, increpando: deniq; dies & noctes excubando pro gregis salute quē illis Dominus verbo vitæ pascendum commisit [c].

a *1.Co.12.a.8*

b *Euseb. Eccles. hist. lib.6.c.3.*

c *Act.6.a.4. &20.d.20 f.27.28. Ro.12.b.6. 7.8, 1.Cor. 14.a.3, 1.Ti.4.d. 13,2.Ti.3. d.26.Ti.1. c.9.Io.1.c. 15. 16.17, 2.Pe.5.a.2*

XXVII. Pastores & Doctores esse dūtaxat instrumenta quibus vtatur Deus.

Alterum

Alterum præterea tenendum eſt, nempe nec Paſtores nec Doctores propriè poſſe quenquã vel ligare vel ſoluere, vel regnũ cælorum cuiquam aperire vel claudere. Proprium enim eſt vnius Dei qui corda noſtra finxit, ea immutare [d], & trahere [e]: remittere vel retinere peccata [f]: corpus & animam vel perdere vel ſeruare [g]: & ita quidem proprium, vt hanc gloriam cum nemine prorſus communicet. Quoniam tamen, pro ſua bonitate, vtitur hominum miniſterio ad patefaciendam ſuam voluntatem, tum in prædicatione verbi, tum in adminiſtrandis ſacramentis [h], quibus veluti geminis canalibus vtitur vt in electorum corda gratiam ſuam inſtillet [i]: ideo magnifica hæc elogia miniſterio Eccleſiaſtico attribuuntur [k], adeò vt in hæc etiam verba erumpat Filius Dei, Qui vos recipit, me recipit: qui vos reijcit me reijcit [a]: habita videlicet eius ratione qui per eos agit [b]. Nam ſi miniſtros in ſeſe quantũuis excellentes conſideremus, acquieſcendum erit in hoc Pauli dicto [c], Qui plantat & qui rigat nihil eſt, ſed Deus qui dat incrementum: quod ipſum confirmarat Iohãnes [d] quum diceret, Ego quidem baptizo vos aqua, ſed qui poſt me venit fortior me

d *Pſa.51.c.11 12.*
e *Io.6.e.44.*
f *Mar.2.a.7*
g *Lu.12.a.5.*
h *1.Co.4.a.1. 2,2.Co.5.d 15.*
i *He.4.c.12.*
k *Io.20.e.23 Act.26.e. 18.Mat.5. b.14,1.Ti. 4.d.16.*
a *Lu.10.c.16*
b *1.Co.15.b. 10.Ga.2.b. 8,2.Co.5.d 20.&10.b. 4.5.6.*
c *1.Co.3.b.7. 8.*
d *Mat.3.c.11*

est, ipse vos baptizabit Spiritu sancto & igni. Cauendum est igitur sedulò ne ministros Verbi vel aspernemur quatenus sunt ministri, vel eousque euehamus, vt quasi pro Deo ipsos veneremur, sicut plerunq; solet fatuus & stupidus hic mũdus ad pseudoprophetas præsertim obstupescere. Sequamur potiùs quod requirit Paulus, vt veros Christi ministros habeamus pro dispensatoribus arcanorum Dei [e], ac proinde vocem Pastoris per os ipsorum loquentis audiamus [f].

e 1.Co.4.a.1.
f Io.10.a.4.

XXVII. Quibus signis distinguantur veri Pastores & Doctores à falsis.

Tertio loco obseruandum est quod ibidem dicit Apostolus [g], nempe id vicissim requiri à dispensatoribus, vt fidi inueniantur. Itaque indigni sunt ministrorum nomine, ac proinde etiam honore [h], qui sese falsò ministros vocant, quum à Domino non sint vocati, id est, qui vel ritè non sunt electi ab Ecclesia, (siquis est in Ecclesia legitimus ordo constitutus) vel à Deo non sunt extra ordinem excitati, sicut nostro quoque tempore accidit, rebus ita collapsis vt ordinariæ vocationi nullus esset locus relictus. Quomodo enim prædicabunt inquit Paulus, nisi mittantur [a]? & quis tandẽ est

g 1.Co.4.a.2.
h 1.Co.16.c.16.
a Ro.10.c.15.Ier.23.c.21.

est princeps qui ratum habere velit quod ipso non tantum insçio sed etiam vetante, quispiam egerit? Itaque seriò admonemus pios omnes vt diligenter inquirant in eos qui, præterita legitima & ordinaria vocatione, quoties aliquis est ei locus, vltrò ad ministerij functionem accedunt. Certum enim est eiusmodi homines, quũ non nisi à malo spiritu impellantur, etiam si ad tẽpus simulent pastorum vocem, tamen lupinum ingenium tandem prodere, cum sera plerunque miserarum ouium pœnitentia. Præterea pro pastoribus habẽdi non sunt, quos res ipsa ostendit ad pastoris munus nullo modo esse idoneos: neq; etiã ij qui sceleribus sunt infames, & ad offendicula nõ tollenda sed ponenda comparati, & qui suum officium non obeunt. Quî enim pastor fuerit, qui non pascit? Est tamen audiẽda Christi vox, etiam si per mercenarios & impuræ vitæ ministros nobiscum loquatur: vt hîc valeat dictum illud, Quæ dicunt facite, sed secundum opera eorum nolite facere: quatenus videlicet super Mosis cathedram sedebunt, id est, quatenus verbum Dei annuntiabunt, quamuis eorum vita & dicta non consentiãt [b]. Tolerãdi sunt igitur mercenarij, ijs quidem qui facere aliter non

b *Mat. 23. a. 3. Phi. 1. c. 18.*

possunt. Sed quibus id onus incumbit, vt eiectis mercenarijs veros pastores constituant, ij viderint quid coram Deo responsuri sint, nisi officio suo fungãtur. De Lupis verò siue pseudoprophetis longè aliter sentiendum vtpote quos toties iubeat Dominus vt fugiamus & omnibus modis vitemus [a]. Pro lupis autem & Satanæ ministris habemus quotcunque extra verbum Dei vagantur, id est, qui verbum Dei syncerè non explicant, sed aut planè reijciunt, aut suis commentis adulterant, vel aliquid ei adijciunt aut detrahunt. Quicquid autem istiusmodi lupi garriant, etiam si mille canonas & totidem bullas & mille successionum gradus ostentent, prorsus inane & friuolum id esse affirmamus, & à pijs omnibus Christi & Apostolorum exemplo, securè contemnendum [b]. Potestas enim ligandi & soluendi, claudendi & aperiendi non est infinita, neque arbitraria, sed limitibus à verbo Dei circunscriptis definita & concluſa, neque lupis sed Pastoribus est attributa: atque vt maxima pars hominum adiuuet & approbet istorum rabiem & crudelitatem, non tamẽ consequitur ratum esse in cælis quod in terris geritur contra Dei mandatum.

a *Mat.10.c.17.& 16.a 6.b.11.Ro.16.c.17. Gal.1.b.8. & 5.b.12, Phi.3.a.2. 1.Ti.6.a. 3.4.5.*

b *Io.9.e.22. f.34.35.& 16.a.1.2. Act.4.b.10 & deinceps.1.Co. 4.a.5.*

XXIX.

XXIX. Aliquem ordinem constitui oportere in Pastorum collegio.

Quanuis æqualis sit Pastorum inter se auctoritas, sicut vna est functio, tamen necesse est vt omnes cœtus certo quodam ordine gubernentur. Itaque videmus Hierosolymis in Apostolorum collegio Petrum cæteris præiuisse [c]. Sed hinc non efficitur quod nonnulli contendunt, Petri videlicet Apostolatum esse à collegarũ munere distinguendum, tãquam princeps fuerit supra Apostolos, aut veluti Ecclesiæ caput. Nam ordinis tantùm causa collegis suis præibat, idque in communi cœtu, quoties vsus ferebat. Idque ita esse vel ex eo liquet quòd coram Ecclesia reprehensus ab ijs qui erant ex circuncisione, rationẽ reddit obitæ suæ legationis [a]: & Antiochiæ à Paulo coràm redarguitur [b], neq; vllum vel leuissimum testimonium in tota illa historia inuenietur, ex quo primatus iste colligi possit: sed è contrario parem Apostolorum vocationem, & æqualem functionem fuisse tota historiæ series conuincit [c]. Itaque agnoscimus necessariũ esse vt aliquis inter fratres existat qui collegium congreget, de negotijs referat, collegas mittat in suffragia, collegij denique

c *Act.* 1.c.15 & 2.c. 14. & alibi sæpe.

a *Act.* 11.a.2. 3.4. &c. 18.

b *Ga.* 2.c.11.

c *Luc.* 22.c. 24. 25.26. *Mat.* 18.d. 19. *Mar.* 16 c.15. *Act.* 1.b.8, 1. *Pe.* 5.a. 1.2.3.

nomine, quum opus erit, ſcribat & loquatur. Eiuſmodi fuit in vetere Eccleſia quem Iuſtinus [d] τὸν προεστῶτα, id eſt, antiſtitē vocat: nunc alicubi decanum claſſis appellant, cuius annuū eſt munus, vbi videlicet Eccleſiæ ſunt in claſſes diſtributæ: alibi nuncupant Superintendentem, ad vitandam, opinor, Epiſcopalis tyrānidis inuidiam. Neque verò nos ignoramus quàm multa ſint à veteribus conſtituta de Epiſcoporum, Metropolitarum, & Patriarcharū ſedibus, idque optimo zelo, & definitis cuiuſque limitibus, certaque attributa auctoritate. Sed tamen propter horrendam illam tyrānidem quæ ab his initijs exorta, (vt rectè iudicauit Hieronymus [e], & ex tota illorum temporum hiſtoria liquet,) vniuerſam Eccleſiam perdidit, & eius inſtaurationem hodie penè vna remoratur, acquieſcimus in Apoſtolorum ordine & conſuetudine, quos ſatis apparet in procuratione negotiorum eos delegiſſe communi conſenſu, quos aptiſſimos eſſe iudicabant, prout neceſſitas requirebat: & ita quidem vt eiuſmodi hominum poteſtas temporaria eſſet & definita, & Eccleſiæ inter ſe aliæ alijs ex officio, non autem ex regio quodam imperio, reuerentiam deferrent, quum videlicet

[d] Iuſt. in Apologetico.

[e] In epiſt. ad Titum.

licet hoc vnum quærerent vt ſeſe mutuò in propaganda Dei gloria iuuarent, tantum abeſt vt cuiquã liceret ex ſuo arbitrio quid libet tentare, aut quiſquã diceret ſeſe à nemine iudicandum, etiam ſi omnes in Tartara præcipites traheret, vt Romanus ille Antichriſtus non modò dixit, ſed etiã ſcriptum reliquit, vt perpetuũ Romanæ Apoſtaſiæ monimentũ extaret. Hæc autem ita fuiſſe ab Apoſtolis factitata, cuiuis liquere poteſt ex hiſtoria electionis Matthiæ[a], & Diaconorum[b], itemque ex eo quòd Simon & Iohannes in Samariam à reliquis Apoſtolis mittuntur[c], & Barnabas[d], Iudas & Silas Antiochiã[e], atque adeò ex ipſa Hieroſolymitanæ Synodi actione[f], & ijs quæ à Paulo multis locis ſcribuntur[g].

a *Act.* 1.c.13 d.21.26.
b *Act.* 6.a.2. 5.
c *Act.* 8.b.14
d *Act.* 11.c. 22.
e *Act.* 15.e. 25.26.27.
f *Vide Act.* 15.
g Epiſt. ad Titum, & vtraque ad Tim. & alibi paſſim

XXX. De ſecunda ſpecie publicorum munerum in Eccleſia, id eſt, officio Diaconorum, & Aerarij Eccleſiaſtici adminiſtratione.

Secunda ſpecies functionum Eccleſiaſticarum reſpicit diſtributionem bonorum Eccleſiæ, quod onus à ſe vltrò reiecerũt Apoſtoli, quòd tam multis rebus ſufficere ſe non poſſe crederent, tantùm aberant ab eorum ſordibus qui ſe vocant illorum ſucceſſores, & ſoli volunt pro Eccleſia cenſeri[h]. Primùm igitur in Eccleſia Hieroſoly-

h *Act.* 6.a.2. 3.4.5.

mitana delecti sunt septem viri, pleni Spiritu sancto & sapientia, & vitæ idoneis testibus comprobatæ, qui peculiari nomine vocati sunt Diaconi, id est, Ministri, quód mensis, id est conuiuijs, quas Agapas vocabant, & reliquis eiusmodi vsibus inseruirent, quum alioqui Diaconorum, id est, ministrorum nomẽ interdum latissimè pateat[a] Hunc ordinem postea sequutæ sunt reliquæ Ecclesiæ, non tamen quod ad numerum attinet, ne quis in septenario numero curiosè philosophetur, sed habita eius functionis ratione, quæ ferè distincta fuit à verbi ministerio, vt veteris Ecclesiæ historia demonstrat. Imò etiam ex veteribus Canonibus liquet bona Ecclesiastica in quatuor partes diuidi consueuisse[b]. Harum autem vna distribuebatur Clericis, id est, qui, vel ex parentum consensu, sumptibus Ecclesiæ alebantur & instituebantur, tantisper dum ad aliquod munus deligerentur: vel iam re ipsa seruiebant Ecclesiæ. Est enim operarius dignus sua mercede[c], & è contrario æquum est vt qui non laborat non manducet[d]. Sed magna hîc cautio adhibebatur, ne qui sumptus inutiliter fierent, ne multitudine Clericorum grauarẽtur Ecclesiæ[e]: ne denique ex publico alerentur

a *Ro.15.b.16 & alibi sæpe.*

b *Vide can.4 Synodi Romanæ anno 336.& Simplicis Romani Episcopi ep. 3.Itemque ca.mos est. &c.sancimus.&c.de reditibus &c.quatuor 1.q.2.*

c *Deut.25.4 Mat.10.a. 10,1.Co.9. b.9.*

d *1.The.3.c. 8.9.10.*

e *Vide nouellas Iustiniani.*

rentur qui suo sumptu commodè poterant seipsos sustentare [f]. Alter autem quadrans pauperibus alendis: tertius tuendis ædificijs & alijs eiusmodi vsibus impendebatur, ita tamen vt præterquam quòd summa cũ moderatione isti sumptus fiebant, omnia etiam templi ornamenta, si quando id requireret inopia, in pauperum vsus venirent, quanuis Hieronymus [a], & Ambrosius [b], iam olim sint conquesti multos plus æquo iam tum fuisse deditos multis pompis, quæ profanis potiùs hominibus quàm Christianis conuenirent. Denique quadrans qui supererat, Episcopo concedebatur [c], nõ vt eo abuteretur pro suo arbitrio [d], sed vt sobriè & honestè viuens captiuos etiam fratres, quum opus esset, solaretur [e], & pauperes aduenas exciperet [f], sicut recitat Gelasius [g], & Hieronymus quoque perspicuè significat [h]. Onera igitur istiusmodi committebantur Diaconis, eosque oportebat rationes reddere accepti & expẽsi coram Presbyteris, quorũ collegio præerat Episcopus [i], adeò vt alios aliorũ auctoritate vti in rebus omnibus oporteret, quẽadmodũ in Cõcilio Antiocheno cauetur [k]. Fecit autẽ postea partim opũ amplitudo, partim oneris magnitudo, vt Diaconis ad-

f 1. *Ti.* 5. *a.* 4. *c.* 16. Clericos. 1. q. 2.

a Hiero. in ep. ad Nepotianum.

b Amb. lib. 2. offi. c. 28.

c Cano. Apo 38.

d Concilio Carthagin. quarto ca. 15. 17. 20. 31.

e c. Apostolicos. & c. sacrorum 12. q. 2.

f 1. *Tim.* 3. *a.* 2. *Tit.* 1. *c.* 8

g c. Præsulũ. 16. q. 3.

h Hiero. epi. ad Nepotianũ Pseudo clemens in ep. ad Iacobũ fratrẽ Domini.

i Can. Apo. 32. & 41.

iũcti ſint Subdiaconi quibuſdã in locis, & ordinis cauſa inſtituti Archidiaconi, quorum fit mentio apud Hieronymũ [l] & Gregorium [m]. Poſſunt autem Diaconis adiungi Viduæ, quæ pauperum & hoſpitum vſibus ſeruiebãt, præſertim ægrotorum, quarum fit mentio expreſſa tũ apud Lucam [n], tum apud Paulum [o].

k Conc. Ant. cap. 24. 25

l Hier. epiſt. ad Nepo.

m *Li. ep. 1. ep. 10.*

n *Act. 6. a. 1.*

o *1. Tim. 5. b 9.*

XXXI. De inferioribus ordinibus quos minores vocãt.

Fit præterea mentio apud ſcriptores ſatis vetuſtos quarũdam functionum, quæ poſtea vocari cœperunt Minores ordines, & ab alijs quatuor, & ab alijs plures numerantur. Erant enim quidam ex Clericis Hoſtiarij, qui ad templi fores erant, cathecumenorum cauſa & excommunicatorum & pœnitentium, quos à myſterijs arcebant [a]. Quidam præterea dicebantus Acoluthi, quaſi Epiſcopi comites ac pediſſequi, velut omnium ipſius dictorum & factorũ teſtes, vt paulatim Eccleſiæ innoteſcerent, & tractandis Eccleſiæ rebus aſſueſcerent, quorum etiam opera leuiculis quibuſdam in rebus in publico cœtu vtebantur [b]. Non deerant etiam Lectores qui locum Scripturæ à Paſtore vel Doctore explicandũ publicè legebant [c]. Fit quoque mentio Exorciſtarum [d], ſed quorum mu-

a Con. Cart. quarto. ca. 9.

b Eodem Con. can. 9

c Eodem Con. can. 9

d Eodem Con. can. 7

munus aut desijt aut desinere sanè debuit cum miraculorum dono. Erant autem institutæ omnes istæ functiones, non tantùm ordinis seruandi causa, sed etiam vt Clerici aliquod industriæ suæ specimen paulatim ederent antequàm illis maius aliquod onus imponeretur, adeò vt non temerè aliter quàm his gradibus ad maiores functiones perueniretur, constitutis etiam temporum interuallis, quibus oporteret in illis singulis perstitisse, vt ex veteribus Canonibus apparet.

XXXII. De tertia specie Ecclesiasticarum functionum, earum videlicet, quæ versantur in iurisdictione.

Tandem ad tertiam speciem munerum Ecclesiasticorum peruenimus, quæ ad Spiritualem Iurisdictionem pertinent. Committebatur autem illa Presbyteris peculiariter sic vocatis, quasi Senatores siue Seniores appelles, quos etiam Apostolus alicubi nuncupat Gubernatores [a], & quorum collegium Christus Ecclesiæ nomine significat [b], quòd penes eos resideret summa politiæ verè Ecclesiasticæ, vt satis appareat totum hunc ordinem ex Israelitica Ecclesia fuisse desumptum. Deligebantur verò Presbyteri suffragijs, aut saltem appro-

a 1. *Cor.* 12. *d* 28. *Ro.* 12. *b.* 8.

b *Mat.* 18. *c.* 17.

batione vniuersi cœtus, vt satis apertè constat ex Ambrosio, conquerente quòd certi homines hoc ius ad se transferrent[c]: & ex Cypriano quoque[d], ex quo illud etiam intelligere licet, Episcopũ præfuisse Presbyterorum collegio, non vt ibi regnaret, sed vt ex eorum sententia Ecclesiasticam politiam regeret, quum præsertim per id tempus Ecclesiæ Aphricanæ non adiuuarentur à Magistratu, sed potiùs crudelissimè vexarentur. Sed sciendum est hanc iurisdictionem non pertinere ad res terrenas & caducas, ac prorsus diuersam esse à Ciuili, sicut Christus testatus est[e] & post Christum Paulus[f], quanuis vtraque sigillatim vniuersos fideles sine exceptione comprehendat. Nam & ciuili Magistratui obnoxij sunt omnes[g], cuius etiam potestas est suo respectu ἀρχιτεκτονική, quatenus pacem & εὐταξίαν procurare debet præsertim in ijs quæ primam tabulam respiciunt[h]: & vicissim nemo est qui verbo Dei ac proinde Ecclesiasticæ disciplinæ non subijciatur[i]. Vult tamen, fateor, Apostolus, vt vitandi offendiculi causa, Christiani suas controuersias absque ciuili Magistratu priuatim dijudicent[k]. Sed satis apparet Paulum qui Christi & sanctorum omnium vestigia secutus

c Amb. in 1. Tim. 5.

d Lib. epi. 2. ep. 5. & lib. 13. ep. 10. 14. 15. & alijs deinceps.

e Luc. 12. b. 14. & 22. c. 26. Ioh. 18. f. 36. Act. 6. a. 2.

f 2. Co. 10. a. 4.

g Ro. 13. a. 1.

h Psa. 101. b 8. 1. Tim. 2. a. 2.

i Ios. 1, b. 8. Psa. 2. c. 10 11. 12. Ier. 1, b. 10.

Amb epist. 32. ad Valentinium.

k 1. Co. 6. a. 4 5. 6.

cutus est, nihil propterea detrahere Ciuili iurisdictioni, neque confundere quæ Dominus distinxit, sed eius duntaxat temporis habere rationem, quo fieri non potuit vt coram infidelibus iudicibus contenderent fideles, quin varijs calumnijs essent obnoxij. Quam ob causam Corinthios admonet vt eiusmodi potiùs cõtrouersiæ omnes vel semel tollantur, vel domestica disceptatione componantur. Nihil ergo fauet ista Pauli admonitio furiosis & vertiginosis Anabaptistis, qui nullum ciuili Magistratui locum in Ecclesia Christiana relinquunt. Ergo vt ad rem redeam, quædam est iurisdictio Ecclesiastica, sed à Ciuili penitus distinguenda. Constat tamen sub Christianis etiam Imperatoribus Episcopos ciuiliũ causarũ cognitione fuisse multũ impeditos, sed vt amica transactione tollerentur dissidia, quamuis dubium non sit quin quorundam Episcoporũ ambitioni iã tum nonnulli Imperatores nimium indulserint, vnde postea factum vt paulatim omnia fuerint perturbata. Neque enim omnes Episcopi similes erant Augustino conquerenti sese istiusmodi cognitionibus per populi importunitatem, à suo munere auocari: & de hac re extant tam graues

[a] Li. de Consideratione 2.

& acerbæ Bernardi quærelæ[a], vt penè sit incredibile non fuisse iam pridem inter hęreticos relatum ab ijs qui vtrunque, quem vocant, gladium suo Antichristo non minùs falsò quàm impudenter asserunt.

XXXIII. Quis sit scopus Iurisdictionis Ecclesiasticæ, & quæ ipsius partes.

Tota iurisdictio Ecclesiastica hunc vnum scopum habet propositum, vt & corpus vniuersũ Ecclesiæ, & singula eius mẽbra conseruentur in communi ædificatione ex verbi diuini præscripto. Iam verò quum hæc ædificatio spiritualis posita sit in bonis legibus, & accurata ipsarum obseruatione: leges autem ipsæ vel propriè respiciant salutis doctrinam, id est Dei cultum & amorem proximi: vel ad eius politiæ rationem spectent quæ in Ecclesia debet, ordinis causa, obseruari: efficitur duas esse præcipuas huius iurisdictionis partes. Vna enim complectitur iuris condendi potestatem tũ quod ad dogmata & mores, tũ etiam quod ad externam politiam attinet: altera verò posita est in eorũ coertione qui positas leges transgrediuntur. Sed quod attinet ad priorem partem, iam antea demonstrauimus Deũ sibi vni totum hoc ius integrũ seruasse, conscientiæ per leges adstrin-

ſtringendæ, vt ex vna ipſius voluntate nobis per Prophetas & Apoſtolos pleniſſimè nunc patefacta debeat conſtitui quid ſit coram Deo iuſtum vel iniuſtum. Itaque ſupererit altera duntaxat particula Eccleſiæ gubernatoribus conceſſa, legum videlicet conſtituendarum quæ τὸ πρέπον ſpectant in Eccleſia, & ita quidem vt omnia particularia, quæ nec perpetua nec vniuerſalia eſſe poſſunt propter circunſtantiarum diuerſitatem, ad generales politiæ regulas, quæ & ipſæ in verbo Dei ſunt expreſſæ ſemper reuocentur, ſicut ſuo loco declarauimus [a]. Sed age totam hanc Presbyterorum poteſtatem per ſingulas partes explicemus.

[a] Supra art. 17.18.19.20.

XXXIIII. De ſingulis partibus officij Presbyterorum.

Debent igitur Presbyteri in primis vigilare & omnem operam adhibere vt Eccleſia ipſis commiſſa certo ordine gubernetur, & omnes leges de ea re conſtitutæ ab vno quoque ſedulò obſeruentur. Item, vt ſiqui ſint ἄτακτοι, in eos inquiratur, & ſinguli vel priuata admonitione vel in comuni presbyterorum cœtu attemperata redargutione, aut etiam, quum opus erit, coertione, de qua pluribus poſteà diſſere-

mus, in viam reuocentur. Quod si quid noui emergat, eorum munus est tẽpestiuè occurrere imminenti vel iam præsenti malo, constituta videlicet Lege, quæ religionis placitis& charitati ad amussim respondeat, ita vt neque imponatur iugum conscientijs,neq; multitudine legũ vel obruatur Ecclesia, vel cultus Dei in superstitionẽ degeneret, sicut suo loco exposuimus: siue ingruens malum sit eiusmodi,vt per se possint ei mederi: siue aliæ Ecclesiæ, ac præsertim vicinæ, consulendæ fuerint, vt communi cõsilio res communis administretur, quum vnica sit tãum Ecclesia Catholica, id est,vniuersalis.Præterea vt Ecclesia possit inoffenso cursu pergere, (quod fieri nequit nisi Verbũ Dei purè & diligẽter docea tur, syncerè administrentur Sacramenta, bona Ecclesiæ incorruptè distribuantur,di sciplina deniq; Ecclesiastica conseruetur) officiũ Presbyterorum est vel præcipuum, homines deligere ad eas functiones idoneos quoties nouis erit opus. Vtor autem Eligendi verbo de industria, eo sensu, vt omne αὐτοκρατορικὸν imperium hominibus adimam, quoniam nusquam inuenio in Christiana vlla Ecclesia iam ædificata vllum esse vel ad ministerium verbi, vel

ad

ad διακονίαν, vel ad Presbyterij gradum alia ratione quam publica & libera electione promotũ, ſicut mox dicemus, niſi quum Deo libuit extra ordinem agere, vt in rebus Eccleſiæ ſuæ veluti perditis ac deploratis oſtenderet ſeſe, contra omnium coniuratorũ conatus, Eccleſiam ſuam mirabiliter poſſe, quoties libuit conſeruare. Sic enim Moſem, Aaronem, Danielem, Iudices, Saulem Dauidem, Prophetas, Apoſtolos, eos denique ferè omnes delegit quorum opera in plantandis & conſeruandis Eccleſijs per illa tempora vſus eſt, & nuper quoq; in ruinis illarum inſtaurãdis non diſſimili ratione vſum eſſe nemo dubitare poteſt, qui nõ ſit paratus affirmare ſolem meridie non lucere. Videntur autem iſtæ quæſtiones in hoc argumento præcipuè conſiderandæ, quóſnam eſſe oporteat Electores, quales ſint eligendi, quæ ſit electionis forma, & à quibus ſit confirmanda.

XXXV. De Electoribus Eccleſiaſticis.

Iterum repeto quod antea dixi, nunquã receptũ fuiſſe in Chriſtianis Eccleſijs iam conſtitutis vt quis admitteretur ad functionem Eccleſiaſticam, niſi liberè & legitimè electus ab Eccleſia cuius interat[a]. Itaque tota iſta nundinatio præſenta- [a] *Act.* 14. *d.* 23.

tionum, pleni iuris patronatus, collationum, resignationum, & aliorum huiusmodi scelerum, à Satana profecta est, quanuis ambigi non possit quin ista ab initijs magis laudabilibus profecta sint: Quoniã enim plerunque multitudo & imperita est & intractabilis, & maior pars sæpe meliorem vincit, ne in Democratia quidem legitimè constituta omnia permissa sunt effræni vulgo, sed constituti sunt ex populi consensu certi Magistratus qui plebi præcant, & inconditam multitudinem regãt. Quòd si hæc prudentia in negotijs humanis requiritur, multò sanè magis opus est certa moderatione in ijs rebus in quibus homines prorsus cæcutiunt. Neque causa est cur quisquam sani iudicij homo clamitet nullum hîc esse prudentiæ locum, nisi hanc prudentiam de qua loquor, ostendat cum Dei verbo pugnare, quòd sanè non arbitror. Neque enim simpliciter spectandum quid sit ab Apostolis factum in politia Ecclesiastica, quum diuersissimæ sint circunstantiæ ac proinde absque κακοζηλία non possint omnia omnibus locis ac temporibus ad vnam eandemque formam reuocari: sed potius spectandus est eorum finis & scopus inuariabilis, & ea deligenda forma

ac

ac ratio rerũ agendarum quæ rectâ eò deducat. Quid igitur ſpectarũt Apoſtoli quũ Paſtores & Diaconos conſtituerent in Eccleſijs quas ædificabant? hoc nimirum vt qui eligebantur, eſſent, quoad eius fieri poſſet, ἀνεπίλημπτοι, & inuito gregi non obtruderentur. Id quoties fieri commodè potuit miſſis in ſuffragium ſingulis, ea ratione factum eſt: quoties autem non potuit, nunquam, vt opinor, eſt factum. Apparet enim quũ eligendus eſſet qui in Iudæ proditoris locum ſuccederet, fuiſſe multitudini propoſitos ab Apoſtolis, eos quos maximè idoneos cenſebant[a]. In Diaconorum electione videtur paulò aliter actũ, ne vllo modo ſuſpecta eſſet eo tempore Apoſtolorum fides[b]. Sed etiam ſi demus Apoſtolorum temporibus totam Eccleſiam, quũ de his rebus ageretur, ſemper miſſam fuiſſe in ſuffragia, nemo tamen, opinor, ad hanc vnam formam adſtringet omnes Eccleſias, ſi manifeſtum fuerit propter vulgi multitudinem, & imperitiam, & multorum etiam improbitatem ita fore vt lupis aditus pateſiat. Tum ergo ne in ædificatis quidem Eccleſijs erunt omnia ſuffragijs multitudinis committenda, neque tamen abſque totius Eccleſiæ conſenſu deligendi

a Act.1.d.25

b Act.6.b.15

fuerint Paſtores: ſed à Presbyteris, & Magiſtratu Chriſtiano, ſi talem Deus conceſſerit, ita erunt omnia moderanda, vt neque ipſi Tyrannidem inuehant in Eccleſiam, (quod ſanè fieret ſi ſuo arbitratu & neglecto conſenſu multitudinis quenquã ad publicam functionem vocarẽt,) neque etiam Democraticus ſtatus Eccleſiæ in ὀχλοκρατίαν degeneret. Huc nimirũ ſpectauit Laodicena Synodus quum cenſeret populo nõ eſſe tribuendas electiones[c], quanuis neminem abſque populi comprobatione admittendum iam olim Eccleſia rectè cenſuerit[d], adeò vt non alia etiam ratione Epiſcopum Romanum conſtituendum tradiderit Nicolaus ſecundus[e]. Quòd autem Athanaſius & Auguſtinus[a] nuncuparunt quos maximè putabant ad ſibi ſuccedendum appoſitos, minimè id fecerunt vt fœdam illam & Simoniacam nundinationem reſignationũ, quas vocant, in Eccleſiã inueherẽt[b], ſed vt haberet Eccleſia iudiciũ quod tum demum ſequeretur, ſi iuſtum & vtile videretur.

c Laod. Synodi can. 13. Diſt. 63. Nõ eſt permittẽdum.

d Leo. Epiſt. 87. 90. & in alijs ep. paſſim. Cypr. li. 1. ep. 4. & li. 2. ep. 3. Greg. li. 1. ep. 5. & lib. 2. epiſt. 69.

e Diſtin. 23. cap. in nomine,

a Aug. Ep. 110. Theodoricus Eccle. hiſt. li. 4. c. 20,

b Vide Romanum Concilium ſub Hilario papa cano. 5.

XXXVI. *Cuiuſmodi eſſe oporteat qui eliguntur.*

Quales autem eſſe oporteat (quoad eius fieri poteſt) eos qui eligendi ſunt, Spiritus sãctus planè ac perſpicuè deſcripſit[c], cuius auctorita

c *Act. 6. a. 3. 1. Ti. 3. a. 2 3. 4. 6. 7. & deinceps, & 5. b. 9. 10, Ti. 1. b. 6. 7. 8. 9.*

auctoritatem inuiolabilē esse arbitramur.

XXXVII. De ratione ferendorum suffragiorum.

Veteres constat primùm quidem à ieiunijs & precibus seipsos ad electiones Ecclesiasticas præparasse [d], deinde post diligentem doctrinæ & morum inquisitionem [e], in ferendis suffragijs eam rationem sequutos in timore & reuerentia Domini, quæ maximè esset vsitata, & calumnijs minimè omnium obnoxia. In Matthiæ electione sortitio interuenit [f], sed peculiarē ob causam, quoniā videlicet Apostolos oportebat ἀ μέσως à Domino designari. In Diaconorum electione non adscripsit Lucas quid Ecclesia obseruarit [g]. Alicubi colligere licet ex Paulo vsos fuisse Asiaticos protēsione manuum [h], qui mos in plerisque negotijs à Græcis obseruabatur. Certam igitur regulam non est quod nimium curiosè quisquam hîc præscribat, sed, si recta fuerit conscientia, facilè fuerit pro temporum & locorum circūstantia definire quid expediat.

d *Act.14.a.3*

e *1.Ti.3.a. 2.3.4. & deinceps.*

f *Act.1.d.26*

g *Act.2.b.5.*

h *Act. 14.d. 23.*

XXXVIII. De confirmatione electionum.

Impositio manuū olim sub Lege adhibebatur in victimis Deo consecrandis [a], & vngendis sacerdotibus [b], quam postea Christus suo exemplo in Christianā Eccle-

a *Leu. 1.a.4. & alibi. sæpe.*

b *Vide. Exo. 29.*

siam introduxit [c], quoties aliquis publico ritu Deo commendabatur [d]. Semper enim adhibebantur preces, ne inane symbolum esse videretur. Ad hanc cõsuetudinem adiuncta paulatim fuerunt plurima insigni profecto Satanæ fraude, qui præposteri zeli specie homines alioqui pios & eruditos ita fascinauit, vt alijs etiam præierint ad Christianismi simplicitatem adulterãdam, partim vsurpatis Paganorum ritibus, partim Mosaicis cæremonijs in vsum reuocatis, quum & ab illis prorsus abhorrere, & istos semel abolere oportuerit, vt vni Christo locus esset, qui vult in spiritu & veritate adorari. Profitemur ergo nos supra Christum nolle sapere, & suam sapientiam carni & mundo relinquimus. Consensum autem pij Magistratus in sua ditione, & populi approbationem, cum Presbyterij auctoritate [e], & publicis precibus coniungimus, vt hæc cæremonia suis omnibus partibus constet.

[c] *Mat.19.b.15, Mar.16 d.18.*

[d] *Act.13.a.3 1.Ti.5.d.22.*

[e] *1.Ti.4.d.14*

XXXIX. De Matrimonio, Cælibatu, & Diuortio.

Certum est olim extra ordinem indicta fuisse Ieiunia, quum necessitas vrgeret, ex piorum principum auctoritate, Dei seruis in concilium adhibitis [f]. Itaque in hunc locum distulimus tractationem de Ieiunio & alijs

[f] Eius rei exempla passim extant.

alijs eiuſmodi rebus. Primùm ergo teſtamur nullam ſalutis noſtræ partem in iſtiuſmodi rebus collocari, quales ſunt, Matrimonium, Cœlibatus, eſca & potus [a]. Nã in vno Ieſu Chriſto ſpem omnẽ noſtram ponimus. Bona autem opera in quibus nobis ambulandum eſt, longè alia eſſe dicimus, ea nimirum quæ nobis in duabus illis tabulis ſunt perſcripta [b]. Neque tamen illa dãnamus, ſed de ijs ita ſentimus, vt mox à nobis explicabitur. Quod ad Cœlibatũ attinet, continentiæ ſedem locamus in ipſis cordis penetralibus, ac proinde non alios habemus pro verè virginibus quàm eos in quibus ita eſt extinctus libidinis pruritus, vt quanuis titillentur, tamen non vrantur, ac proinde matrimonij remedio non indigeant [c]. Deinde didicimus tum ex Dei verbo, tum etiam ex ipſa experientia, quã miramur ne ſtultorum quidem magiſtram eſſe poſſe, continentiæ donum peculiariter donari à Deo, non modò certis hominibus quibus libuit, ſed etiam plerunque ad certum tempus [d]. Præterea nec virginitatem nec matrimonium habemus in earum rerum numero que ſimpliciter & per ſe nos reddant meliores & Deo gratiores, ſed hactenus laudamus continentiæ do-

a 1.*Cor.*7.c. 27.28.& 8.c.8.*Ro.* 14.c.17.

b 1.*Ti.*4.c.8.

c 1.*Cor.*7.b. 9.8.37.

d 1.*Cor.*7.b.7 *Mat.*19.b. 11.12.

num, quatenus qui cœlebs est nec tamen vritur, pleriſque in rebus aptior eſt ad curanda quæ Dei ſunt, quum priuatis familiæ negotijs non diſtrahatur [e].

[e] 1.Co.7.a.1. c.26.& deinceps.

Quod autem attinet ad Matrimonium, affirmamus conſtitutum eſſe à Deo [f], & in quouis vitæ genere laudabile [g], adeò vt quiſquis continentiæ donum non habet, id eſt ita exæſtuat immoderatis illis affectibus vt ad prauas cupiditates trahatur, matrimonij remedio vti teneatur [a]. Deinde admonemus in ipſo etiã matrimonio quãdam eſſe ſcortationis ſpeciem, ſi quis puro Dei dono purè & ſanctè non vtatur, ad eum finẽ cuius cauſa eſt inſtitutum [b]. Præterea patriam poteſtatem in liberos ſaluã & integram retinemus ſicut par eſt [c], ea tamen adhibita exceptione, niſi patres ſuo iure abutantur. Graduum diſtinctionem ita vt in verbo Dei deſcripta eſt inuiolabiliter ſeruandam arbitramur [d], neque ſupra Deum ſapere volumus, quanuis hîc quoque ſpectandum putamus non modò quid liceat, ſed etiam quid expediat, & noſtra libertate ad ædificationẽ vtendum eſſe ſedulò docemus [e].

[f] Gen.12.d 24.Mat. 19.a.4.5. Eph.5.g.31

[g] He.13.a.4.

[a] 1.Co.7.a.2 b.7.8.9.

[b] 1.The.4.a. 4.5, 1.Pet. 3.a.1.2.3. 4.

[c] Deut.22.b 16.Exo.22 c.16.

[d] Vide Leui. 18, 1.Cor.5. a.1.

[e] 1.Co.6.c.12 & 7.d.8.9

Diuortia, ad eandem amuſſim, id eſt ad Verbum Dei exigimus, vt non niſi ob cauſas

ſas in verbo Dei expreſſas, idque legitimo præeunte iudicio, concedantur[f]. Quibus verò legitimè conceſſum eſt diuortiũ, eos non deſiſtimus ad reconciliationẽ cohortari: quæ ſi impetrari intra præſcriptũ ſpatium non poteſt, poteſtatem facimus noui cõiugij, illi præſertim qui diuortio cauſam non præbuit: idque à nobis rectè concedi, tum ex Dei verbo, tum ex veteris Eccleſiæ vſu docemus[g]. Nam alioqui diuortium nullum eſſet, neque in ſolatium ſed in pœnam innoxij conceſſum videretur. Adulteria & omne ſcortationis genus publicis & acribus pœnis puniẽda docemus, nec lupanarium vſum in Chriſtianis Eccleſijs vllo modo tolerabilẽ arbitramur. Denique prohibitionẽ cõiugij, ac proinde votum perpetuæ continentiæ cenſemus cum Apoſtolo, diabolicam eſſe doctrinam[a], vtpote quæ expreſſo Dei verbo & purioris Eccleſiæ moribus è diametro repugnet[b]. Id autem ita eſſe ſi non ex alio teſtimonio, at certè colligi potuit iam olim ac debuit ex ijs quæ ſunt iſtam diabolicam legẽ conſecuta, quum nullum ſit tam horrendũ libidinis genus, quo nõ ſeſe mutuò polluant qui egregio iſti voto ſeſe adſtrinxerunt, id eſt qui iſtos compedes ſibi ipſi impege-

f *Mat.19.b.9, 1.Co.7.c.15.*

g Orig.hom. in Mat.7. Tertul.li.4 in Marcionem. Amb. in 1.Cor.7.

a *1.Tim.4.a.1.2.3.*

b *1.Co.7.a.2.b.& deinceps, 1.Ti.2.a.4.5. Tit.1.b.6. Heb.13.a.4* Hiſto.trip. lib 2.c.14. Ca.Apoſt. 5.Concilij Ancyr.ca. 10.diſt.26. & 27.Concil.Conſtãtinopo.6. cano.13.

runt. Ac ſunt quidem plurimi qui hac occaſione arrepta clamitent libertatem carnis à nobis quæri: ſed quàm iſti ſint impudentes ſi nolunt ex noſtris & illorum moribus inter ſe collatis iudicare, ex re ipſa ſaltem colligatur. Neque enim continentiam quiſquam noſtrûm vnquam reprehẽdit, cuius certè exempla poſſemus multò plura in noſtro ordine, Dei beneficio, proferre, quàm iſti Cynædi poſſint: ſed eam legem vt prorſus Satanicam reprehendimus, quæ quum imponatur affectui non tam voluntario quàm naturali, nihil aliud quàm extremam & certiſſimam perniciem omnibus afferre poteſt, niſi cõtinentiæ donum, & quidem perpetuum, habuerint. Dicant igitur iſti quod ad hunc vſque diem neceſſe eſt vt fateãtur, ſe vel neſciuiſſe, vel ſcire neglexiſſe, quomodo videlicet intelligere poſſit aliquis hoc donum ſibi collatum eſſe in perpetuum. Nam ſi obijciãt, ſe id futurum ſperare, parata eſt duplex reſponſio: nempe neque ſperari rectè poſſe quod nemini Deus promiſerit, atque adeò quod neſcias an cum tua vocatione pugnet: neque à temeritate poſſe excuſari qui rem tanti momenti, & non poſitam in noſtra volũtate, auſi fuerint vouere. Denique oſtendant

ostendant isti magis studere libertati carnis qui vnumquemque monent vt si continere se non potest, quemadmodum monet Apostolus [a], vnam vxorem sibi adiungat quicum castè & pudicè viuat: quàm qui cœlibatus obtentu homines ad turpissima quæque patranda cogunt. Sed quorsum attinet, obsecro, de continentia cum istis putidissimis prostibulis contendere?

[a] 1.Co.7.b.7 & 9.

XL. De ieiunio.

Quod ad Ieiuniũ attinet, primum omnium ad sobrietatẽ & temperantiam perpetuam homines hortamur. Illos verò non dicimus ieiunare qui semel dũtaxat in singulos dies ventrem saturant, quòd olim plerique veteres tota vita factitabant: aut qui piscibus potiùs quàm carnibus vescũtur, quum maiores sint sæpe pisciũ quàm carnium delitiæ: sed eos potiùs qui genium fraudant & continentiam solitò seueriorem sibi ad certum tempus indicunt. Deinde hypocritica ieiunia cum Christo & Prophetis damnamus [b]. vera autem ieiunia non commendamus quasi diuini cultus speciem, sed quatenus præstantioris finis causa suscipiuntur [c], nempe vel vt lasciuiens caro veluti fame dometur [d], vt ad

[b] Mat.6.a.2 3.4.Esa. 38.Ioel.2. c.12.13.

[c] Aug.lib.2. de Manich. mori.c.13. & lib.30. contra Faustum.

[d] 1.Tim.4.b 7.8. 1.Cor.9.d. 25.26.27.

preces ſerio cordis affectu concipiendas noſipſos præparemus [e], vel vt nos totos cũ vero animi dolore corã Deo abijciamus, & teſtimonijs etiam externis tum noſipſos tum alios ad reſipiſcentiam acuamus [f]. Denique nullam ordinarij ieiunij Legẽ præſcribimus, quoniã id potiùs Iudaiſmo cõuenit, quàm Chriſtianiſmo [a]. Sed quod attinet ad priuata ieiunia, ſatis eſt nobis vnũquenque ſui officij admonere: publica verò ieiunia quoties ita poſtulat temporum ratio & imminens calamitas peccatis noſtris debita, æquiſſimum eſſe cenſemus vt ex Presbyterij & pij Magiſtratus auctoritate vniuerſaliter indicantur.

e *Luc.2.e.37 Act.13.a. & 14.d. 23, 1.Co.7. a.5.*

f *Ioel.2.c.14 15, 1.Sa.7. b.5.6. & alibi paſſim.*

a *Euſe. Eccl. hiſt. lib.5. c.18.*

XLI. De dierum & ciborum delectu.

Superſtitioſum eſſe docemus arbitrari vnum aliquem diem altero ſanctiorem, & ceſſationem à quotidianis laboribus per ſe à Domino cõprobari [b]. Interea tamen ſeptimum quemque diem, ſicut iuſſit Dominus [c], ſanctificamus, id eſt habendis cœtibus & audiendo Dei verbo totum conſecramus, ſed abſque Iudaica vlla cæremonia, vel ſtulta, de qua diximus, ſuperſtitione: quamobrem etiam nõ Sabbathum ſed diem quem Dominicum vocant, ex veteris Eccleſiæ conſuetudine [d], ad eã rem delegimus.

b *Ro.14.a.5. 6.Col.2.c. 16.17.*

c *Gen.2.a.3*

d *1.Co.16.a. 2.Act.20. b.7.Apo.1. c.10. Iuſtin. Apo. loge.1.2.*

mus. Ex reliquis diebus festis quotcunque potuimus expunximus, præsertim per manifestam idololatriam inuectos, vt infinitas inde exorientes corruptelas corrigeremus, & fratrum inopiæ consuleremus. Quoniam tamen nonnulli celebrandis quibusdã redemptionis nostræ mysterijs iam olim fuerunt consecrati, vtimur Christiana libertate, & omnia ad ædificationem referimus. pro diuersa locorum, temporum, & personarum circunstantia. Quod ad cibos attinet, sobrietatem in primis vrgemus. Vtimur autem quibusuis cibis cum gratiarum actione, absque vlla nostræ conscientiæ offensione [a] Didicimus enim ex Paulo nobis id licere modò ne fratri infirmo ponatur offendiculum, quoniam regnum Dei non est positum in esca vel potu, & omnia sunt munda mundis [b]. Itaque delectum istum ciborum in quo nonnulli cultum Dei ponunt, non dubitamus cum Apostolo diabolicam doctrinam [c], & inanissimam superstitionem vocare [d].

a 1.*Cor.*10.*f.* 25.27.

b *Ro.*14.*c.*14 15.*d.*20.21 & 15.*c.*17. 1.*Co.*8.*c.*8. *& deinceps.Mar.* 7.*b.*17. *Col.*2.*c.*17.

c 1.*Ti.*4.*a.*1. 2.3.*Tit.*1. *d.*14.15.

d *Col.*2.*c.*16. *d.*20.*&* *deinceps*

XLII. De ea parte Iurisdictionis Ecclesiasticæ, quæ ad correctiones spectat.

In coertionibus Ecclesiasticis primo loco putamus obseruandum qua in re differant à ciuilibus pœnis. Differunt autẽ præ-

cipuè quod neque carceribus, neque mulcta pecuniaria aut pœna corporali vtuntur[e] Presbyteri, sed vno Dei verbo peccatores castigant[f]. idq; vt ad resipiscentiam adducant[g], quoniam omnis Ecclesiæ iurisdictio spiritualis est, & conscientiarum ædificationem directè respicit[h]. Quod enim Apostoli interdum pœnis corporalibus vsi sunt, peculiare & extraordinariũ fuit, quoniam eos oportuit hac etiam potestate interdum armari, vt quum impius adhuc esset Magistratus.

e *Luc.12.c.25.Ioh.18.f.31.*

f *2.Co.10.a.4.*

g *2.Cor.13.d.10,1.Co.5.b.5.*

h *Act.5.a.4.5.b.8.& 13.b.11.*

Secundo loco, causas verè Ecclesiasticas, id est quarum cognitio propriè ad Presbyterium pertinet, in tres species distinguim[o]. Aut enim agitur de doctrina, aut de moribus, aut de violata Ecclesiastica politia.

Porrò in doctrina potest aberrari vel sola simplici ignorantia, vel quæ cum improbitate coniuncta sit. Edit autem improbitas suos fructus, prout excreuit: & habenda etiã ratio est eius dogmatis quod violatur, vt à simplici ignorantia discerni possit improbitas, & sceleris quoque magnitudo melius intelligi. Est autem in his omnibus tenendus hic modus, vt à minoribus remedijs initium fiat. Oportet enim ignorantes paulatim erudiri[a], & malitiam

a *1.Cor.3.a.2.Ro.14.a.1,Eph.4.a.1.*

coargui,

coargui, tum priuatis, tum etiam si opus erit, publicis admonitionibus, & coram Presbyterio [b], vt, si fieri potest resipiscant homines è Diaboli laqueo [c]. Quod si nihil ista profecerint, tum ad vltimum remedium veniendum erit, de quo mox dicemus.

Quod autem attinet ad morum correctionem, discrimen ponendum est inter ea dicta vel facta quibus certi duntaxat homines læsi sunt, & quorum publicum non est offendiculum: & ea quæ publica sunt, vel suapte natura vel propter offendiculũ publicum. Præterea qui sæpius est relapsus, vitiosior est eo qui semel duntaxat humana imbecillitate lapsus est, ac proinde asperius est cum illo quàm cum isto agendum. In priuatis autem delictis quid sit agẽdum planè ac perspicuè traditum est ab ipso Iesu Christo [d]. Publicè verò, id est cũ offendiculo publico peccantes iubet Paulus corã omnibus argui [e], & suo ipsius exemplo hanc doctrinam in reprehendendo Petro confirmauit [f]. Quod si reprehensiones istæ satis profuerint, quiescendum erit profectò & gratiæ Deo agendæ testibus ipsis Angelis in cælo [g] sin minus, paulatim veniendũ erit ad vltimum remedium [a], ita

b *Act.7.f.51 & 13.b.9. 10.& 8.d. 19.20, Lu. 3.b.7,1.Co. 5.a.1.2. Gal.3,a.1.*

c *2.Ti.2.d. 24. 25.26.*

d *Mat.18.b. 15.16.17.*

e *1.Ti.5.d.21*

f *Ga.2.c.11. 14.*

g *Luc.15.c.7 10.*

a *Mat.18.c. 17,1.Co.5. a.1.2.3.& deinceps. 1.Ti.6.a.3 4.b.5,2.Ti 4.b.14.15. Tit.3.c.10. 2.Thess.3. d.24,2.Io. d.10.*

tamen vt omnia fiãt in timore Domini, &
b & ad ædificationem referantur[b].

1.Co.5.b.5. 2.Co.2.b.7 Quod autem attinet ad ea tum dicta tũ facta quæ publicas ipsas personas attingunt, idque ob suæ functionis εὐλαξίαν violatam, extant veteres canones ijs de rebus accuratè scripti, ex quibus satis intelligi potest quis fuerit veterum patrum zelus, vt omnia in domo Dei rite & ordine fierent. Itaque non recusamus quin, si instauratæ essent Ecclesiarum ruinæ, omnia illa diligenter expendantur, & coercendæ præsertim eorum ἀλαξία quos oportuit cæteris prælucere, vel durissima quæque frena inijciantur: adhibita tamen hac vna moderatione, vt spectetur quid cum verbo Dei consentiat, & quid expediat, ne dum volumus Epicureismum, sicut par est vitare, in Pharisaismũ siue Monachismum incurramus.

XLIII. Quid sit excommunicatio, & quis sit ipsius rectus & legitimus vsus.

Correctio Ecclesiastica duos habet gradus, quorũ prior est Admonitio, ad peccati magnitudinem & peccatoris ædificationẽ accommodata. Eam consequitur, quum ita opus est, Excõmunicatio, in qua putamus hæc præcipuè obseruanda:

Primùm

Primùm omnium ſpectandum quid declaret Excommunicationis vocabulum, nẽ pè Preſbyterij ſententiam, præeunte legitima cognitione, prolatam in Dei nomine & auctoritate ex ipſius verbo, qua declaratur quiſpiam iuſtè excluſus ex Sanctorum communione ſiue ex Dei Eccleſia, ac proinde traditus Satanæ, quum extra Eccleſiã non ſit ſalus: adhibita tamen exceptione, niſi reſipuerit [a]. a 1.Co.5.a.4 & deïceps.

Secundò ſciendum eſt hanc poteſtatem non niti humana ordinatione, ſed expreſſo Dei verbo. Hæc enim pars eſt iuriſdictionis clauium Apoſtolis, &, in Apoſtolorũ perſona, omnibus veris Presbyteris, traditarum, quam Paulus ipſe Corinthi & alibi exercuit [b]. Ex hoc autem efficiuntur duo. Vnum, hanc ſententiam quæ ita profertur in terris, ratam eſſe in cælis. Alterum, nullo modo nobis eſſe audiendos qui diſputant an ſit neceſſariò reuocandus legitimæ excommunicationis vſus, &, vt ſuam hanc opinionem tueantur, quam ſciũt pleriſque maximè eſſe plauſibilem, quædam etiam argumenta comminiſcuntur. Nam certè qui de hoc dubitat, de auctoritate verbi Dei dubitat: & iſtos ſaltem oportuerat ex ipſa experientia cognoſcere, ibi ne- b Mat. 18.c. 17.18. 1.Co.5.a.5. 1.Ti.1.d.20

ceſſe eſſe vt ad iudicium & condemnationem plurimorum prædicetur Euãgelium, vbi repudiatur Eccleſiæ diſciplinæ formula, quam & ipſe Dei filius conſtituit, & omnes Eccleſiæ perpetuo conſenſu exercuerunt, adeò quidem vt verè nobis liceat hoc affirmare, non poſſe dari nobis Eccleſiæ vllius exemplum ſub cælo ad hæc vſque tẽpora, in qua dubitatum ſit an excommunicatio ſit exercenda in ijs Eccleſijs vbi Chriſtianus eſt magiſtratus. Quid enim eſt dubitare an Chriſtus ſit audiendus tãquam Eccleſiæ caput, ſi hoc non eſt, quum & verbum ipſius expreſſum, & perpetuam omnium ſæculorum conſuetudinem habeamus? Imò vbi tandem ſatis commodé poterit exerceri, niſi vbi Chriſtianus eſt Magiſtratus, qui & falſorum miniſtrorum tyrannidem prohibeat, & veram Eccleſiæ auctoritatem contra illius contemptores aſſerat? Si de illius vſu & executione quæreretur, tum verò reſponderem quod verum eſt, referenda eſſe omnia ad ædificationem, & expectandum diligenter quid quiſque ferre poſſit. Sed obſecro, quàm ſunt hæ quæſtiones non modò diuerſæ, ſed etiam repugnántes, quærere an ſit excommunicationi locus in Eccleſia Chriſtiana,

& ro-

& rogare, quis sit excommunicationis vsus? De illo enim affirmo neminem vnquã dũbitasse, nisi vel non satis exercitatum in Dei verbo, vel suis affectibus extra sani iudicij metas abreptum: de hoc autem nulla vnquam fuit inter sanos homines controuersia, quin spectandum sit quid ferat eorum captus quibuscum nobis negotium est: sed addita ea conditione, vt hominibus non seruiamus, sed Deo: & in hominũ gratiam, etiam si cælum ruere oporteat, non putemus nobis licere polluere quæ sancta sunt, & facere mala vt bona eueniãt, atque adeò positos à Deo terminos amouere. At enim, inquiunt, quod nuper ædificatum est, si excommunicationem vrgeas, rursum euertes.. Respondeo, oportuisse quidem in ipsis initijs hunc errorem cauere, sed, obsecro, quid debet ijs esse antiquius qui in ipso viæ ingressu aberrarunt, quàm vt primo quoque tempore animaduerso errore in viam redeant? & quæ hæc est ratio, putare nos alia ratione posse superficiem ædificij attollere, quàm si architecti præscriptũ in ipsis præsertim fundamentis sequamur, & metuere, ne si exemplar ab ipso architecto descriptum penitus imitemur, infœliciter ædificemus?

Denique prouoco ad ipſam experientiam, & omnes eos qui hodie hãc quæſtionẽ verſant, obteſtor in Dei nomine vt ſuis ſaltem domeſticis malis conſcientiam ſuam erudiant. Cæterùm ſi Eccleſia ius habet eijciendi, conſequitur eam quoque habere ius iterum recipiendi peccatores de quorum reſipiſcẽtia ſatis conſtiterit[a], quique, ſi publicum fuerit offendiculum & palàm, vt ab omnibus caueantur, promulgata fuerit eorum excõmunicatio, publicè quoque ſicut par eſt, Eccleſiæ fuerint reconciliati[b]. Neque enim ijs aſſentior qui non niſi ex totius Eccleſiæ conſenſu, & rogatis ſingulis, quenquam excommunicari, & omnium excommunicatorum nomina publicè promulgari volunt. Nam ſani iudicij hominibus conſtat Chriſtum de hac re diſſerentem, quam ſatis etiam liquet ex Iſraelitica Eccleſia ad nos tranſlatam, Eccleſiæ nomine *συνέδριον* ſiue *πρεσβυτέριον*, id eſt, Seniorum collegium ſignificaſſe[c]. Et varij quoque ſunt excommunicationis gradus pro varijs non tantùm peccatorum inter ſe, ſed etiam vnius & eiuſdem peccati circunſtantiis: quò fit vt nonnulli hactenus tantum ex communi cœtu eijciantur, quatenus eis ad tempus

a 2.*Co.*2..*b.*6 7. Vide Cyp. li.1.ep.2.& li.3.ep.14. & 16.

b 1.*Ti.*6.*b.*5. 1.*Co.*5.*d.*11. 2.*The.*3.*d.* 14, *Ti.*3.*c.* 10,2. *Io.*1. 10.*Mat.* 16.*c.*17.

c *Mat.*13.*c.* 17.

tempus interdicitur Cœnæ participatione. Est autem nobis diligenter curandum non modò vt offendicula tollantur, sed etiam ne vulnera potiùs nostra seueritate exulceremus quàm sanemus : quũ præsertim certissimum sit hæc adhiberi vt remedia quibus homines seruentur, non autem vt cauteria quibus semel amputentur[a].

Tertio loco tenendum est hanc potestatem nulli certo homini attribui, (nisi fortè Domino libuerit extra ordinem agere) sed toti Presbyterorum collegio[b]. Præterea ius istud non esse falsæ & apostaticæ Ecclesiæ, qualis est Romana siue Papistica, concessum, sed Presbyterio canonicè & legitimè electo. Ex quo consequitur omnes Antichristi Romani & pseudoepiscoporũ excommunicationes esse ipso iure nullas.

Quartò, diligenter obseruandum est ne vero quidem ac legitimo Presbyterio licere pro suo arbitrio spiritualem hunc gladium stringere, sed totam hanc potestatem esse suis finibus circunscriptam, vt non nisi iusta præeunte cognitione, & iustis de causis, ex præscripto verbi diuini, in timore & tremore Dei cũ charitate exerceatur.

a 2.Co.2.b.6 7.

b Mat.18.c. 17,1.Co.5. a.4.

Nam quod iniquè agitur in terris, ratum esse non potest in cælis: quamobrem etiam Iesus Christus cum Apostolis omnes, à Scribis & Sacerdotibus in se pronũtiatas excõmunicationes meritò contempserunt: quãuis illi super cathedram Mosis sederent[c]. Sic quoque Irenæus Lugdunensis Episcopus circiter annum Domini 198. seuerè & acriter reiecit excommunicationem aduersus Orientales Ecclesias à Victore Romano Episcopo temerè pronuntiatam[a]. Et satis constat ob eam etiam causam indictas fuisse prouinciales Synodos semestres, vt audirentur eorum querelæ qui sibi à suis Presbyteris iniuriam in huiusmodi causis Ecclesiasticis factam probarent[b]. Nam Episcopos oportebat sibi mutuò opem ferrè sine vlla ambitionis aut tyrannidis specie: & Metropolitis erant sui limites definiti, nec quicquam illis agere nisi ex sui collegij sententia licebat[c], donec paulatim certi Patriarchæ, ac præsertim Romanus, reliquis stertentibus Episcopis, aut cum eo coniurantibus, omnia ad se pertraxerunt.

c *Io. 16. a. 1. 2. & 9. d. 22.*

a Nicep. Eccleſia. hiſt. li. 4. c. 38. & 39.

b Niceni Cõcilij can. 5. & 8.

c Niceni Cõcil. can. 6. & Antioch. 2. 9.

Denique annotandi sunt fines quorum gratia instituta fuit excommunicatio ex Dei verbo. Primùm videlicet vt Ecclesia pura

pura sit non pollutis præsertim Sacramentis, quoad eius fieri potest: neque malè audiat quasi sit quorumuis sceleratorum fautrix & adiutrix [d]. Deinde, ne morbidæ pecudes sua contagione reliquas inficiãt [e]. Denique vt qui aberrarunt, aliquo saltem pudore victi in viam reuocentur [f], & reliqui timeant [g]. Hos fines qui sibi proponet, facilè animaduertet quanta seueritate sit opus, & quo pacto singula sint ad ædificationem tum publicam tum priuatam accommodanda.

d *Mat.7.a.6 Act.8.g.37, 1.Co.5.a.1.2.*

e *1.Co.5.b.6.7.*

f *1.Co.5.b.5 1.Tim.1.d 20, 2.The.3.d.14.*

g *1.Tim.5.d.20.*

XLIIII. De Christiani Magistratus officio.

Supereſt vt disseramus de Magistratu, vno videlicet ex Ecclesiæ membris, eoque in suo genere cæteris, sine vlla exceptione, præfecto [h] vtpote cuius vis sit ἀρχιτεκτονική. Huius itaque munus est publicam pacem ac tranquillitatem conseruare [a]. Id verò quum fieri satis rectè non possit, quin primo loco vigeat verus Dei cultus, à quo vno vera omnis fœlicitas promanat, consequitur nihil antiquius esse debere apud Christianos Magistratus quàm vt Ecclesiam habeant ad præscriptum verbi Dei constitutam, cuius auctoritatem aduersus omnes præfractos eius contẽptores ac perturbatores tueantur ac vindicent, Dauidis,

h *Ro.13.a.1.*

a *2.Tim.2.a.2.*

Solomonis, Ezechiæ, Iosiæ, omnium denique piorum Regum ac Principum exemplum secuti [b]. Neque hîc nobis audiendi sunt, qui falsæ clementiæ obtentu, & argumentis non tantùm vanis & ineptis, sed etiam cũ magna impietate & sacrilega audacia coniunctis, pseudoprophetas & hæreticos eximunt Christianorum principum gladio, quum è contrario, nullum sit hominum genus maiore seueritate à Christiano Magistratu coercendum, sicut expressũ Dei verbũ iubet, & pij principes semper factitarunt [c]. Sed hæc tria tamẽ in primis diligenter obseruanda docemus. Vnum, vt ex verbo Dei, & legitima cognitione, dijudicentur hæreses, ne pro malis puniantur boni. Alterum, vt, qui per simplicẽ imperitiam errant, ab ijs qui per improbitatẽ vel arrogantiam peccant, itẽq; factiosi, à simpliciter pertinacibus discernantur: & ipsa etiam dogmata de quibus quæstio erit, accuratè distinguantur, quoniam alia sunt alijs grauiora, alia alijs magis certa ac perspicua: ex quibus circunstantijs non modò facile fuerit simplicitatem à malitia discernere, sed etiam quanta sit improbitas, & quantum ab ea immineat Ecclesiæ periculũ, dijudicare. Denique ijs omnibus diligen-

b *Deut.17.d.18, Esa.49 g.23, Psa. 191.b.8. & 75.b.11, 2. Sam.6, 1. Reg.2.c.27 & 11.b.11 2.Para.14 & 13. & 17.b.7, 2. Reg.10.f. 25. & 18.a 3. & 23.c. 20.*

c *Exo.22.c. 20.Deu.13 Exo.31.c. 14.Leu.24 c.15.Nu. 15.c.30. Nice.Eccl. hist.lib.8.c 8.& 25.& lib.12.c.1. & 29.& li. 18.c.25.L.1 & 2.Cod. de paganis & L.5.de hære.& Mani.& l.2. Ne sanctũ Bap.& l.2. de aposta.*

ligenter expensis, id quoque diligenter erit considerandum, vt, neque præposteræ clementia lupis parcatur, non modò in alicuius gregis, sed etiam in Ecclesiæ vniuersæ pernicie: neque tanta sit asperitas, vt nostra culpa vel vnam ouiculam amittamus.

Sed & in negotijs quæ propriè ad hanc vitam spectant, Magistratui prospiciendū est, siue de priuatis controuersijs agitur, siue de publica & communi εὐλαξία, siue de publicis arcendis iniurijs, vt leges statuantur quàm æquissimæ, & ad verbum Dei tanquam vniuersalem regulam accōmodatissimæ, pro diuersa temporum & locorum circunstantia: & ex ijs legibus incorruptè iudicetur[a], earum auctoritas asseratur, maleficia puniantur, ad arma non nisi iustissimis & necessarijs de causis veniatur, bellum cum summa integritate & pura conscientia administretur[b], denique cum summo Dei timore omnia procurentur quæ ad pacem publicam cū gloria Dei coniunctam spectant[c], eiusque rei procurandæ causa, ea vectigalia & tributa exigantur quæ publicis oneribus ferendis sufficiant[d].

a *Psa.82. Ro.13.a.3. 4.*
b *Luc.3.c.14.*
c *1.Tim.2.a. 2.*
d *Mat.22.b. 21.& 17. d.27.Luc. 13.e.53. Ro.13.b.6. 7.*

XLV. De obedientia quæ Magistratibus debetur.

Quisquis Dei ordinationi parere debet,

(debent autem omnes sine vlla exceptione,) idem quoque Magistratuum suorum imperio est, obnoxius, vtpote quos Deus ordinauit[e]. Sed aliqua tamen explicatione indiget hæc doctrina, quoniam facile est Magistratus nomine abuti, & legitimi quoque Magistratus potestas non est infinita. Quoniam igitur solent homines suæ rebellioni prætexere Magistratuum vitia, obseruandum est in primis, sit ne vitium in re, an verò in persona. Vitium rei appello, quum ipsa potestas vel per se & simpliciter est à Deo damnata, vel certo duntaxat respectu, veluti si legibus & institutis certæ ciuitatis repugnet, cuius rei sit hoc exemplum: Latrocinia sunt interdicta omni non tantũ diuino sed etiam humano iure. Si quis ergo sese inter latrones principẽ faciat, in re ipsa vitium esse consequetur. Romæ cautum est ne quis Regiam potestatem affectet, sed vt omnes communi iure. Quiritum viuant vel priuati, vel pro suæ dignitatis gradu quam more maiorum acceperint. Ibidem cautum est quo quisque interuallo fungatur suo Magistratu. Iulius Cæsar Galliam inuito Senatu vult retinere, Consulatum ambit manifestè contra Leges, aduersus Consules arma capit, denique

e *Ro. 13. a. 1. alibi passim.*

nique Rempub. euertit. Est igitur in re ipsa vitium, etiam si Cæsarem daremus omnium hominum fuisse clementissimũ, & modis omnibus optimũ. Idem affirmant quoque nonnulli de muliebri imperio, sed quibus non possim assentiri. Etsi enim sexus muliebris conditus est vt virili subijciatur[a], quó fit vt ingenuè fatear sapientiùs mihi videri rebus suis prospexisse qui cauerunt ne sceptrum mulieribus vnquam traderetur: tamen non videtur hoc esse ex earum rerum numero quas ita præcisè constituit Deus, vt qui præter eas aliquid faciat & iuri suo renuntiet, impiè feciſſe videatur, quũ Dominus vt virorum ignauiam castigaret, eiusmodi muliebribus imperijs non semel benedixerit. Nam si libeat tam angustè id interpretari, multa certè absurda consequentur, nempe nullam esse matribus in mares liberos potestatem, neque filiabus vnquam licere paternam hæreditatem adire quæ sit posita in feudis, quæ vocant nobilibus: nec olim ius vllũ vnquam meritò fuisse fœminis in seruos mares: quæ omnia miror an quisquam inueniatur, qui non dico vt impia, sed etiam vt iniqua velit reprehendere. Consequitur ergo non ita vniuersalem esse legem illam quæ sexum

[a] Ge. 2. c. 28.

muliebrem virili ſubijcit, vt nullam exceptionem admittat, quum & matris & hæredis nomen, quorũ neutrum temerè & abſque Dei prouidentia mulieribus obtingit, plena ſint dignitatis nomina, quæ ipſas mulieres, certarum perſonarum reſpectu, auguſtas & venerabiles ipſis etiam viris reddunt. Cur igitur, obſecro, vbi ex populi vel tacito vel expreſſo conſenſu regna ſunt hæreditaria, ſi mulier hæres extiterit, vitium in re ipſa eſſe dicatur? Quod autẽ ex Moſe citatur[a], de viri imperio in mulierem poſt Adami lapſum conſtituto, non ſatis appoſitè dicitur. Ibi enim agere Dominum de ea ſubiectione, quæ in matrimonio duntaxat locum obtinet partim ex circunſtantia loci conſtat, quum eodem in loco fiat partus mentio: partim ex ipſis Domini verbis. Neque enim ſimpliciter inquit, *Ad virum erit appetitus tuus*, ſed, *Ad virum tuum erit appetitus tuus & ipſe dominabitur tibi.* Cæterum ex iſtis, vt opinor, cognoſci facilè poteſt quando in re ipſa vitium eſſe dicatur. Id verò quoties obtĩgit, nego pro Magiſtratu habendos qui Magiſtratus nomen ſibi falsò vendicant. Nemo igitur latronũ principi eſt obnoxius, & Cæſari iure reſtiterunt Conſules. Sed hoc tamen obſeruan-

a *Gen. 3. 16.*

dum

dum est, rei vitia interdum purgari posse, interdum non posse. Neque enim quicquã obstat quominus rite mutatis legibus licitum fiat quod anteà illicitum erat, & ratũ habeatur tacito vel expresso cõsensu, quod contra leges factum erat, ac proinde neminem initio obligabat. Itaque C. Cæsar quũ fasces haberet, & Tribunitia potestate tutus esset, omnisque potestas ad eum esset delata, Romanos tandem habuit sibi iure obnoxios quos iure ab initio hostes habuerat: & Brutus cum socijs coniurationis meritò fuit interfectus: itemque cæteris Cæsaris successoribus Romani vt suis principibus obedientiam omnem iure debuerunt.

Consequens est vt de personarum vitio dicamus. Est autẽ illud duplex. Aut enim exterius est vitium & personis potiùs adhærens quàm inhærens, aut intus residet. Prioris speciei exemplum nobis præbent quicũque violatis legibus & institutis, per vim seipsos Magistratus creant, vel extraneos opprimunt. In hac autem specie officium est legitimi Magistratus, sibi commissos populos aduersus domesticos & externos graſſatores tueri atque etiam cessante Magistratu, vel ignauia sua Remp.

deſerente, cuiuſque eſt priuati, ſi quam viam aperuerit Deus, patriam libertatem defendere, ſicut nobile Mattathiæ exemplum declarat, modó nec temerè nec priuato affectu quicquam aggrediatur. Sed quid ſi vel in externum Tyrannum, vel domeſticũ eiuſmodi graſſatorem conſenſerimus? nẽpe noſter conſenſus vitium purgauerit, & clamandum erit ad Dominum, qui hoc iugo nos quoquo modo liberet. Sed & diligenter cauẽdum erit ne particularia facta, cuiuſmodi multa in hoc argumento vel vnus Iudicum liber ſuppeditabit, in exemplũ trahamus. Quid ſi verò nos Dominus in eiuſmodi hominum manus tradiderit? nempe Deo parendum erit, penes quem vnum propriè ius eſt & attribuendi & auferendi imperia: & libenter acquieſcendum in illius voluntate, quæ eſt conſtantiſſima iuſtitiæ regula. Sic iubetur Sedechias ſeſe Babiloniorũ regi dedere[a], & quoniam non paret, meritò punitur: & abductis in captiuitatem Iudæis præcipitur vt orent pro Nebuchadnezaris ſalute, tantiſper dum eos eripiat Dominus[b].

a Vide *Ier.* 27. & 37. & 38.

b *Bar. 1. b. 11.*

Supereſt vitium perſonis eorum inhærens qui ſunt alioqui veri & legitimi principes, ſiue ex legibus & inſtitutis, ſiue ex conſen-

consensu tacito vel expresso, cuiusmodi vitia sunt, impietas, auaritia, ambitio, crudelitas, luxus, libidines, & cætera eiusmodi monstra quæ solent Tyranni in pectoribus circunferre. Hîc igitur quid erit constituendum? Respondeo, superioribus potestatibus, cuiusmodi nunc sunt Septemuiri in Romano imperio, quos *Electores* vocãt, & regni status in omnibus ferè Monarchijs, hoc onus incumbere vt furentes Tyrannos cohibeant: quod ni faciant, ipsos vt patriæ proditores, rationem suæ perfidiæ coram Domino reddituros. Quod autem attinet ad priuatos homines à quibus etiam vel nihil vel non multum absunt inferiores Magistratus, tenere illos oportet plurimum inter se differre, iniuriam inferre & iniuriam pati. Iniuriam enim pati nostrum est, sic præcipiente Domino, & suo exemplo nobis præeunte[a], cum nobis illam vi arcere non licet ex nostræ vocationis præscripto, extra quam nefas est nobis vel pedem ponere: neque aliud vllum remedium hic proponitur priuatis hominibus Tyranno subiectis, præter vitæ emendationem, & preces & lachrimas, quas Dominus suo tempore non aspernabitur. Iniuriam autem inferre nemini debemus,

[a] *Mat.17.d. 24.25.26. & 22.b.11. Ro.13.a.1. & alibi passim.*

nec volentes, nec ab alijs iussi, atque adeò ne priuatam quidem vocationem deserere fas est, cuius certum habeamus testimonium. Hîc enim firma est ac constans hæc regula, Deo parendum esse potiùs quàm hominibus, quoties hominum imperijs parêre non possumus quin summi illius Regis regum & Domini dominorum auctoritatem violemus: ita tamen vt meminerimus aliud esse nõ parêre, quàm resistere, vel ad arma se comparare quæ à Domino non acceperis. Sic laudantur obstetrices quæ Pharaoni non paruerunt [b], & Apostoli omnesque adeò Prophetæ & Martyres à nullis Tyrannis adduci potuerunt, vt suo silentio veritatem proderent, nedum vt operam suam Tyrannis accommodarent, eorum exemplo qui si quando immanis illius crudelitatis accusantur quam reluctante etiam conscientia, in homines innocentissimos exercent, egregiam excusationem se nactos arbitrantur, si respõderint se non ex suo sensu sed ex regiorum edictorum præscripto iudicare.

[b] *Exo.1.d.17 Act.4.d.18 19.& 5.e. 27.28.*

Quid igitur sentiamus de subiectorum erga suos magistratus officio, ex istis cognosci potest multò certiùs ac veriùs profectò quàm ex eorum calũnijs quibus nullus

lus est pudor nos inuoluere cum vertiginosis Anabaptistis qui magistratus auctoritatem tollunt, iurisiurandi religionem euertunt, iudicia & bella per se illicita esse contendunt: à quibus sceleribus quantum, Dei beneficio, absimus, nemo potest ignorare, nisi qui lucem recusat intueri. Auget autem illud quoque aduersariorum nostrorum impudentiam, quod quum ipsi palàm contra Dei verbum, & regna & reges sibi subiecerint: nec vllum sit hominũ genus aduersus Magistratus magis rebelle, audent tamen illi nobis illud ipsum scelus impingere, quod sibi licere non obscurè iactant.

DE VLTIMO IVDICIO.

CAPVT VI.

Quid sit nobis credendum & sperandum de Venturo vltimo Iudicio.

CRedimus ex Dei verbo, fore vt tẽpore constituto [a], quod ne Angeli quidem ipsi norunt [b], Iesus Christus post expletum Electorum [c] numerum, & huius mundi machinam igne repurgatam [d] veniat è cælis,

[a] *Act.3.d.24,1.Pe.3 d.7.*
[b] *Mat.24.c.36.&25. a.13,1.The 5.a.1.2.*
[c] *Apo.6.c.11 1.Pe.3.b.9*
[d] *2.Pet.5.e.10.*

ita vt est visibili & vero suo humano corpore, sed Diuina coniuncta maiestate, præditus[e]: & coram eo compareant quicunque à condito mundo homines extiterint[f]. Nam quos antea mori contigerit, iterum resurgent, ijsdem videlicet corporibus quæ ad tempus quieuerint, cum eadem anima rursum, idque inseparabiliter coniunctis: qui verò in ipso Christi aduentu superstites fuerint deprehensi, vno momento immutabuntur, id est, in eam conditionem transibunt in qua futura est hominum natura post resurrectionem[g]. Deinde Dominus omnes sine exceptione iudicabit ex verbo suo[h]. Quicunque igitur crediderint, sicut ex fidei fructibus constabit[i], fiet Christi cohæredes[k], non tantum animate nus, quæ à suo excessu ex corpore in Domini sui gaudium ingressa, tunc demum, corpore suo resũpto, plena fœlicitate perfruetur[a]: sed in ipso etiã corpore, quod omni deposita infirmitate, incorruptionem & gloriam nobis nunc incomprehensibilem induet[b]. E contrario verò scelerati & increduli, suæ conscientiæ testimonio cõuicti[c], perennem quidem naturam induẽt, sed omnis ignominiæ plenam & in eum tantum finem vt perpetuo torqueri possint cum

e *Act.1.b.11. Mat.24.c.30.*
f *Mat.25.c.32, 1.Pe.4 b.5, 2.Ti.4 a.1.*
g *1.Co.15.g.51. & deinceps. 1.The.4.d.14. & deinceps.*
h *Mat.25.d.31.*
i *Mat.ibidẽ*
k *2.Ti.4.b.8 & alibi passim.*
a *Lu.23 f.42 43. Act.7. g.59. Phi. 1.d.23.*
b *Ro.8.d.18. &.23, 1.Co.2.b.9 &13.d.12 &15.g.51.*
c *Ro.2.b14.*

cum Diabolo & ipſius Angelis[d].

Hæc ſunt in ſumma quæ de futuro iudicio didicimus ex Dei verbo. Eorum autem furores qui quãdo ſit vẽturus ille dies defini re ſe poſſe exiſtimãt:& aniles illas ſpeculationes de fictitio quodam Antichriſto, paradiſi gaudijs,& inferorum ſupplicijs, non modo aſpernamur, ſed etiam toto pectore aduerſamur. Nefas enim putamus abſcondita ſcrutari, & ſua commenta cum Dei veritate permiſcere. Malumus denique perpetuas excubias agere, ne nos dormientes opprimat qui venturus eſt, ſicut in diebus Noe,& ſicut in nocte[e]:& ſatis nobis eſt intelligere incom prehenſibile eſſe gaudium quod ſperamus[f], & infinitũ crucia tũ qui omnes incredulos manet.

* *
*

d *Mat.25.d. 41.42.*

e *Mat.24.e. 36. & deinceps & 25. capite.*

f *1.Co.2.b.9*

BREVIS ANTITHESIS PAPATVS ET CHRISTIANISMI.

CHPVT VII.

I. Papistas pro vero Deo colere fictitium, & imaginarium numen, quod neque perfectè iustum, neque perfectè sit misericors.

EX ijs quæ adhuc exposuimus facile fuerit cuiuis attẽto lectori iudicare quàm iustis de causis à Papistica Ecclesia ad Christianã trãsierimus, & quantopere hallucinantur qui nos putant de leuiculis quibusdã & indifferentibus rebus cõtendere, quum è contrario de ipsius doctrinæ salutis summa exdiametro à Papistis dissideamus. Hoc enim affirmo, atque vtinam non possem tam iustis de causis affirmare, album nigro non magis repugnare quàm Papismum Christianismo: quod nunc paucis probare constitui. Neque hîc ego de ipsorum flagitijs & perditissimis moribus disputo, sed ipsum causæ iugulum peto, doctrinam illorum nimirum, qua nihil impurius & corruptius ne fingi quidem posse affirmo. Omitto illud quoque, quod tamen vel vnum satis probat Papisticum regnũ nihil aliud esse quàm tenebrarum regnum, quod videlicet sua mysteria nolint cuiuis patere, sed ignota lingua omnia peragi velint, nec quicquam æquè reformident, atque hoc vnum, ne verbum Dei translatum in cuiusuis gentis idiomia,

idioma, à quibuſuis poſſit cognoſci. Hoc, inquam, nunc omitto, & deſcendo ad præcipuas Chriſtianæ doctrinæ partes. Ac primo quidem loco numen illud imaginarium ac fictitium eſſe dico quod Papiſtæ veſtiũt ſummo illo ac glorioſiſſimo Dei nomine. Nam omnibus conſtat, verum Deum ſummè ac perfectiſſimè iuſtum eſſe ac miſericordẽ. Atqui nec perfecta eſt ea iuſtitia quæ humanis ſatisfactionibus acquieſcit, nec perfecta miſericordia quæ tantum ſupplet quod hominum meritis deeſt. Eant igitur Papiſtæ & iactent ſe verum Deum colere.

II. Si vera eſt Papiſtarum doctrina, Chriſtum deſiiſſe hominem eſſe, ac proinde ſpem noſtrã eſſe prorſus inanem.

In Ieſu Chriſto, in quo vno verè colitur Pater, duo præcipuè ſpectamus, perſonam & officium: quorum vtrunque Papiſtæ ab ipſis fundamentis conuellunt, ſicut ſigillatim explicabimus. Nam quod ad perſonam attinet, quanuis verbo fateantur Chriſtum & Deum & hominem eſſe, re tamen negant cum Eutychianis, quũ ei tribuũt corpus inuiſibile, immenſum, atq; adeò infinitũ, vtpote quem ſimul infinitis locis corporaliter præſentẽ eſſe volunt. Nam ſi vnius Dei naturæ id proprium eſt, vt ſit vbique, quoniam vnus eſt infinitus, conſequitur carnem Chriſti eſſe in Deũ conuerſam, ſi placitis Papiſticis acquieſcamus. Nam vbique & pluribus ſimul locis eſſe, paria ſunt. Neque eſt quod ad omnipotentiam Dei confugiant, quum de voluntate Dei non autem de potentia hîc quæratur. Noluiſſe autem Deum quod iſti voluiſſe affirmant, ex eo conſtat quòd Filium ſuum voluit veram hominis naturam inſeparabiliter, & diſtincta naturarum proprietate aſſumere.

Glorificatio verò corporis Chriſti, naturã carnis

non sustulit, sed infirmitatem ademit: & frustrà hic agitur de glorificatione. Quum enim diceret Christus, HOC EST CORPVS MEVM, nondum erat ipsius caro glorificata: neque nunc aliter vera est hæc propositio quàm tum erat qua de re pluribus suo loco disputatum est. Quî verò fiat vt nihilominus fideles qui nunc in terris sunt non alibi, verè in Sacramenti perceptione per fidē fiant participes carnis & sanguinis Domini, quæ nūc sunt in cælis & nō alibi, suo quoq; loco exposuimus, ne quis nos arbitretur Sacramenta euacuare.

Iam verò quod attinet ad personæ vnitatem, quàm tradunt nonnulli lacerari, nisi vbicunque est diuinitas, ibi etiam humanitatem esse concedamus, ex quo efficiunt vbique etiam esse Christi carnem, sic paucis respondeo.

Primùm quæro an fuerit Christi caro in cælis an tequàm in cælos ascenderet. Si hoc affirment, & illum Iohannis locum [a], *Nemo ascendit in cælum nisi qui descendit è cælo, nempe filius hominis qui in cælo est*, propriè acceperint, quū omninò sit explicandus per κοινωνίαν ἰδιωμάτων, quid aliud erit ascensio quám inane spectrum, si duntaxat disparuit Christus, nec verè locū mutauit? Nā certè mutatio loci in id non cadit quòd est vbique. Ascensio verò apertè in Scripturis distinguitur à sessione, ita vt illa mutatū corporis sitū, quum de verò corpore dicatur: sessio verò ad Dei patris dextrā, infiniti imperij cōsortiū declaret. Deinde verò an simul carnē Christi mortuā in sepulchro, & viuā in cælo constituemus? puderet enim opinor, mortuā in cælo collocare. Et ipsa Christi resurrectio cuiusmodi tādem erit, si Christi caro sepulchrum nūquā reliquit? Nunquā enim profectò verè illud reliquit, ac ne nunc quidem abest à sepulchro, si à coniunctione

[a] *Ioh. 3. b. 13.*

iunctione duarum naturarum, vbicunque fuit diuinitas, ibi fuit caro. Non erit igitur simpliciter, sed nostrorum duntaxat oculorum respectu, verum quod dicunt Angeli, Surrexit, non est hîc [a]. Quæ omnia quum sint absurdissima, & eorum hæresi certum fundamẽtũ substernant qui corpus imaginarium vel Spiritualis naturæ Christo tribuunt, ac proinde spẽ nostram omnem euertunt: consequitur falsissimũ quoque & absurdissimum esse dogma de carnis Christi vbiquitate. Sed, inquies, nõdum est expeditus nodus, quomodo non separentur naturæ, si vtraque non est vbique. Id ego verò crassa quadam similitudine explicari posse crediderim, quæ etsi per omnia non respondet (cui enim similem faciemus Altissimum?) tamen ad id de quo agimus vtcũque percipiendum, satis mihi videtur accommodata. Ponamus Solẽ duabus coniunctis naturis diuersissimis constare, vna solida & conspicua, & orbi suo affixa: altera verò tenuissima & inuisibili, per hemispherium diffusa, radijs suis nimirum ad oculos nostros verè pertingentibus. Sit quoque Solis corpus densissimis interpositis nebulis nostro conspectui ereptum, cuius tamen radij in nostros oculos incurrant. Obsecro, an non verè dicetur à nobis Sol absens secundum corpus, quũ sit in cælis, nos autẽ in terris, & ne procul quidem conspici à nobis possit? Erunt tamen eius radij nobis adeò præsentes vt oculos etiam feriãt. An verò propterea à Solis corpore suos radios per se separatos dicemus? Minimè profectò, quoniam inseparabiliter cum Solis corpore sunt coniuncti. Verum igitur erit vbicunque est Solis corpus, ibi esse ipsius radios, sed non è contrario, quoniam natura corporis id non patitur. Neque tamen dicemus dimidium tãtùm Solem nobis adesse, sicut dici potest ac debet

[a] *Mat. 28. b. 6.*

quum dimidius tantùm ortus est: sed totum & integrum: quanuis totũ solis, vt ita loquar, id est quicquid Solis est, nobis non adsit. Sic quoque humanitatem Christi quæ corpori, diuinitatem quæ radijs Solis in hac similitudine respondet, affirmamus, sicut par est, inseparabiliter & hypostaticè coniunctas, quoniam alioqui spes nostra inanis esset, vt suo loco declarauimus. Fatemur etiam vbicunque est caro Christi, ibi esse æterni verbi diuinitatem, sed non è contrario, quoniã hoc non sinit distincta veræ carnis proprietas, quæ est supra cælos extra conspectum nostrũ euecta, quanuis interdum ei placuerit, fissis, cęlis, extraordinario modo sese quibusdam verè demonstrare. Dicimus tamen totum Christum nobis adesse, non dimidium: sed totum Christi adesse negamus, quoniam caro supra cælos nũc est, nos verò in terris, nec propterea personæ vnitatem laceramus.

III. Papatus eneruat vnicam Christi oblationem.

De Christi officio nunc nobis differendũ est, quod & ipsum à Papistis prorsus ei adimitur. Est autem illud tribus in rebus positum, nempe in Sacerdotio, Prophetia, & Regno, de quibus sigillatim differemus. Duæ sunt igitur Sacerdotij Christi veluti partes, nẽpe oblatio sui ipsius semel facta, nec vnquam repetẽda, quoniam est omnibus modis perfecta: & intercessio apud Patrem, quæ adhuc manet [a]. Vtraque verò à Papistis tolli sic probo.

a *Heb. 7. d. 24. 25. 26. 27. & 9. f. 24.*

Primùm quod ad oblationem attinet, si ea repetẽda est, vt isti volunt qui Christũ dicunt in Missa offerendum pro viuis & mortuis, consequitur oblationẽ quæ semel facta est à Christo esse imperfectam, sicut rectè colligit Apostolus, de Leuiticis sacrificijs differens, & manifestè contendens oblationem Christi vnicam esse non modò specie sed etiam numero, & ipsum

pſum oblationis actum ſpectandum b. Sed vtuntur patres ſacrificij & oblationis nomine. Fateor, ſed alio reſpectu, nempe precum & gratiarum actionis, & munerum, quæ reficiendis viuis non autem redimẽdis mortuorum animabus, in Dei nomine, & fide viua, offerebantur. Neque enim ad ſacra myſteria accedendum eſt vt Chriſtum ſacrificemus aut offeramus Patri, ſed vt ſemel oblatum percipiamus per fidem.

b *Heb.7.d. 27.& 12.g 25.26.10.a 2.c.10.11. 12.13.14. d.18.*

Secundò, ſi ordinandi ſunt ſacrifici qui Chriſtum quotidie offerant Deo Patri pro remiſſione peccatorum, non eſt Chriſtus vnicus ſacerdos ad reconciliandum Patrem, ſecundum ordinem Melchiſedech: ſed erit tantùm vnica hoſtia: quod & ipſum tamen poſtea Papiſtæ euertunt.

Tertiò, ſi oblatio Ieſu Chriſti & à Ieſu Chriſto ſemel facta, omnibus modis eſt integra & perfecta, (vti ſanè eſt ſi Chriſtus verè eſt Ieſus, id eſt ſeruator,) quid eſt quod iſtos docere nõ pudet, ſatisfeciſſe Chriſtum pro peccatis præcedentibus Baptiſmum: quod autem attinet ad peccata Baptiſmum conſequentia, remitti tantùm culpam per Chriſti paſſionem, pœnam autem ex infinita finitã fieri, quæ in purgatorio (quod vocant) luatur, tantiſper dum noſtris corã Deo ſatisfactionibus ambuſti manes eximantur? Quod ſi hæc falſiſſima ſunt, & in Chriſti ſacerdotium prorſus impia, quales ſunt eorum indulgentiæ? Quòd ſi purgatorium morientibus omnibus ſupereſt, vnde non aliter poſſint quàm viuorum meritis liberari: vnde ſanctorum merita quæ iſti tam carè vendunt, quum vel ipſi ſancti, quos vocant, id eſt albo regnantium cum Chriſto beatorum, ex ipſorum auctoritate, inſcripti, viuorum precibus indiguerint: vel falſum ſit quod affirmant, Purgatorium omnibus ex hoc mundo migrantibus eſſe propoſitum, quòd Chriſtus

culpam duntaxat aboleuerit? Imò qualis erit Deus iſte qui inculpatos tam ſeuerè puniat, id eſt, donec ad vltimum quadrantem ſatisfecerint qui nihil debent? Sic enim ſolent iſti locum Matthæi [c], ad ſuum dogma detorquere, quum tamen conſtet nihil niſi ratione culpæ deberi. Sed quoniam iſti ad Patres confugiunt, audiamus quid teſtetur Ambroſius [a], *Qui HIC non receperit remiſſionem peccatorum, ILLIC non erit.* (videlicet in communione ſanctorum.) *Non erit autem quoniam ad vitam æternam non potuerit peruenire, quia vita æterna remiſſio peccatorum eſt.* Quid autem Cyprianus [b]? *Quando ISTINC exceſſum fuerit, nullus iam locus pœnitentiæ, nullus ſatisfactionis effectus. Hîc vita aut amittitur aut tenetur. Hîc ſalus æternæ cultu Dei & fructu fidei prouidetur.* Et mox, *Tu ſub ipſo licet exitu & vitæ tẽporalis occaſu pro delictis Deum roges qui verus & vnus eſt, confeſſionem & fidẽ eius agnitionis implores, venia datur confitenti* (quæ ſit autem hæc confeſſio, ſuo loco declarauimus) *& credenti indulgentia ſalutaris de diuina pietate conceditur, & ad immortalitatem ſub ipſa morte tranſitur.* Quid autem Hieronymus [c]? *Tempus*, inquit, *ſementis, tempus eſt præſens.* Deinde multa ſubijcit, ex quibus mirum ni hæreticiſſimus à Papiſtis iudicetur. Sed quoniam vix quicquam eſt quod iſti non cauillentur, proferam apertum Auguſtini teſtimonium & illius ipſius Gregorij, quem alioqui certum eſt errorem de purgatorio igne plurimum confirmaſſe. Sic ergo Auguſtinus [d], *Primum*, inquit, *fides Catholicorũ diuina auctoritate regnum eſſe credit cælorum. Secundum, gehennam, vbi omnis apoſtata vel à Chriſti fide alienus ſupplicia experitur. Tertium penitus ignoramus, nec eſſe in Scripturis ſanctis reperimus.* Sed & idem alibi [e] ſcribit eos, qui purgatorium ignem credunt, humana

[c] *Mat.5.d.20.*

[a] Amb.li.de bono mortis.

[b] Cypr.contra Demetrianum tractatu primo.

[c] Hier.in c.6 epiſt.ad Galatas.

[d] Aug.lib. hypognoſt.5.

[e] Idem Ench ad Lauren. c.67.

humana quadam beneuolentia decipi. Denique Gregorium ipsum audiamus, cui si credimus non exinguetur quidem penitus ignis purgatorius ad purgandas potiùs crumenas quàm animas extructus: sed tamen non magnus ipsius vsus relinquetur, & venialibus potius peccatis, vt loquuntur, quàm mortalibus fuerit destinatus. Sic enim ille scribit totidem verbis [a], *Constat quia qualis hinc quisque egreditur, talis in iudicio præsentatur. Sed tamen de quibusdam leuibus culpis ante iudiciũ purgatorius ignis cẽsendus est.* Et mox, *Sicut est*, inquit, *assiduus otiosus sermo, immoderatus risus, vel peccatum curæ rei familiaris quæ vix sine culpa vel ab ijs agitur qui qualiter declinare debeãt sciunt, aut non in grauibus error ignorantiæ, quæ cuncta etiam post mortem grauat, si adhuc in vita positis nõ fuerint relaxata.* Iam ergo habent Paipistæ ex suo Gregorio, purgatorium ignem solis minimis peccatis excoquendis seruire, & quidem cum exceptione, *nisi viuis fuerint relaxata.* quæ omnia etsi inepta & falsa sunt, tamen ostendunt quæ tunc fuerit de purgatorio sententia in ipso Papatu cui iste præfuit. Sed audiamus etiam aliquid amplius. Statim enim hæc verba subijcit:

[a] Greg. lib. Dialogorũ 4. cap. 39.

Quum Paulus dicat Christum esse fundamentum, atque subiungat, siquis superædificauerit, &c. quamuis hoc de igne tribulationis in hac nobis vita adhibita possit intelligi, tamen siquis hoc de igne futuræ purgationis accipiat, pensandũ solicitè est, quia illum per ignẽ dixit posse seruari, non qui super hoc fundamentum ferrum, æs vel plumbum ædificat, id est peccata maiora, & idcirco duriora, atque tũc iam insolubilia, sed lignum, fœnũ, stipulam, id est peccata minuta & leuissima, quæ ignis facilè consumat. Hactenus Gregorius, apertè quidem illum Pauli locum detorquens, sed satis tamen decla-

rans quæ tum fuerit de purgatorio doctrina. Deniq; si Christi vnica oblatio semel facta nos sanctificat, quorsum dicitur aqua salsa diluere peccata, vt alia omittam quorum nec finis est nec numerus?

IIII. Papistæ abolent Christi intercessionem.

Quod autem ad alteram sacerdotij partem attinet, nempe intercessionem, etsi Papistæ primas plerunque Christo tribuunt, an non tamẽ illum hoc suo munere spoliant, quum alios ei collegas adiungunt? Quid verò, quum virginem Mariam inuocantes, vociferantur, IVRE MATRIS IMPERA, an non eam Christo, vt matrem pupillo, anteponunt? Et quũ eam clamãt, Reginam cæli, portam paradisi, vitam & dulcedinem suam, gratiæ thesaurariã, refugium peccatorum, mediatricem hominum, quid amplius Christo relinquunt?

Ac ne quid confingere videar, adscribam ipsas blasphemias, vt Papatus omnibus pijs fœteat. Sic ergo canitur in Missali Parisiensi in prosa Missæ de Annuntiatione,

Salue decus virginum,
Mediatrix hominum,
Salutis puerpera.

Item in prosa Missæ de Conceptione, hæc canuntur,

Tu spes certa miserorum,
Verè mater orphanorum,
Tu leuamen oppressorum,
Medicamen infirmorum,
Omnibus es omnia.

Quid est, obsecro, Christũ excludere, si hoc nõ est? Sed audiamus quod omnes omniũ ætatum blasphemias superat. Extant enim hæc quoque in prosa quæ incipit, *Mariæ præconio.*

O fælix

O fælix puerpera,
Nostra pians scelera,
Iure matris impera,
Redemptori.

Sed horrendarum impietatum plus satis. Et tamẽ istis sumus impij, & Mariæ virginis contemptores.

V. Papatum negare Christi Prophetiam.

Quod autem attinet ad propheticum Christi munus, cuius prænuntio Spiritu loquuti sint Prophetæ tantisper dum ipse veniret, & omnem Patris voluntatem nobis patefaceret, quique Apostolis suis omnem veritatem, & nobis postea per Apostolos omne Dei consilium pleniſſimè aperuit, cui tandem sano homini persuaserint Papistæ se illum vt vnicum perfectum Prophetam, id est Patris interpretem admittere? Vnde enim infinita illa congeries traditionum & legum quotidie emergentium, si semel omnia ad salutem & perficiendum hominem Dei necessaria Christus voce primùm, deinde Scripturis tradidit? quod si secus est, quomodo prophetico suo muneri satisfecit? Nam Synodorum quæ sit auctoritas in Ecclesiasticis condendis legibus, abundè à nobis explicatum est. Quod si etiam tanta illa esset quantam isti esse contendunt, quomodo tandem probabunt Spiritum Dei præfuisse illis Synodis, quæ à Dei verbo ex diametro dissident? vnde tanta illarum inter se repugnantia? vnde hæc Papæ potestas, vt quicquid Synodi constituerunt pro arbitrio rescindat? At enim Papa est os Domini. Itanè verò impurissime Antichriste? cur igitur ante tot sæcula quum mysterium tuæ iniquitatis inciperes operari, tota Synodus Aphricana te vt manifestè falsarium coarguit? Quòd si tuæ claues errare non possunt, cur saltẽ vestri Magni Gregorij do-

ctrinã nõ admittis, qui vniuersalis Episcopi vel ipsum nomen testatus est vni Antichristo conuenire?

VI. Papatus Christum spoliat suo regno.

Si Christo tributa est omnis potestas in cælõ & in terra, vtpote qui sit vnicum Ecclesiæ Catholicæ caput, quam viuifico suo Spiritu præsens moderetur, & vnus conscientijs imperet: vnde hæc Papæ potestas ad conscientiam legibus adstringendam? Nam ne ipse quidem Christus si nunc quoque corporaliter inter nos versaretur, quicquam Euangelio suo adijceret vel detraheret, quod testatus est plenam perfectamq; doctrinam salutis complecti [a]. Quorsum autem præsenti & omnipotenti vllum vicarium caput, repugnãte Dei verbo, & tota illa vetere Metropolitarum descriptione quæ in Synodo Nicæna extat, totque consequentibus Synodis est confirmata? Qui denique dicetur Christi vicarius qui quoties libuit, & Dei verbum & Apostolorum doctrinam rescindit, & ipsius Petri, cuius falsò successorem se iactitat, omnem auctoritatem conuellit [b]?

a *Io.15.c.15. & 16.b.13. Act. 20.e. 27, Ga.1.a. 8, 2.Ti.3.d 16.17.*

b *1.Pe.5.a.2 3. Act.8.d. 20.*

Exempla si requirunt, duo saltem proferam, quæ nec ipsi possint inficiari, lege videlicet cœlibatus, & Sacramenti sub vna duntaxat specie administrationem, quas constat non tantùm verbo Dei [a], sed etiam totius veteris illius purissimæ Ecclesiæ decretis & moribus ex diametro repugnare [b].

a *1.Ti.3.a.2 & 4.a.3. Tit. 1.b.6. Mar.6.c. 23, 1.Co.11. e.25.26.*

Papam tamen fateor vna in re Petro successisse, nẽpe in Christi abnegatione. Sed huius sceleris Petrum statim pœnituit: istum verò perditum, suarum blasphemiarum, ne post tot quidem sæcula, potest pœnitere.

b *Nice. Eccl. hist. li. 8. ca 19. Can. Apost. 5. Chrysost. ho. 18. in 2.Co. 8.*

VII. Papatus ignorat quàm misera sit hominis conditio.

Mirum non est ignorari, aut etiam conculcari Christi

Christi beneficium ab istis qui penitus seipsos ignorant,& quàm lethalis sit morbus quem ex ipso vsque conceptu circunferimus. Primùm enim quum omnes natura simus filij iræ [c],& ne ad cogitandum quidem bonum idonei [d], quod ad Dei cultum attinet, toti denique simus mortui in peccatis [e]: isti è contrario docent intelligentiam & voluntatem læsas esse duntaxat,hactenus vt sine gratiæ præuenientis auxilio nó possint propter suam imbecillitatem emergere. Nesciunt enim quid sit Caro totum hominem non regeneratum comprehendens, quem non dicit Scriptura oportere à Spiritu Dei adiuuari,sed è contrario potiùs, perimi & aboleri. Ignorant quoque quid sit Spiritus, & quid sit Nouus homo: qui certè nouus nó est, si qua ex parte est vetus,id est si vel tãtillum veri boni in homine inueniri potest ante regenerantem gratiam. Nam quod ad naturalem Dei cognitionem attinet,tantùm abest vt ea nos iuuet, vt è contrario condemnet,sicut ait Apostolus [a],clamitans omnes esse ἀθέους ante Christi cognitionem [b], quam caro vel sanguis non patefacit [c]. Vbi igitur liberi arbitrij reliquiæ quod isti somniant, vt ex eius cum gratia concursu *Merita sua ex congruo & condigno stabiliant*? Neque verò nos quum hæc reprehendimus, homines facimus truncos vel stipites, sed ad malum totos spontaneo & voluntario motu seipsos ciere dicimus,quoniam naturæ corruptæ vitio factũ est vt sint sub peccato venundati,serui peccati, & liberi iustitiæ [d].

c *Ro.3.b.9.* *Eph.2.a.3.*

d *2.Cor.3.b.9.*

e *Eph.2.a.1.*

a *Ro.1.c.20.*

b *Eph.2.c.12*

c *Mat.16.c.17.*

d *Ro.6.d.20. & 7.c.14.*

Quid quod ijdem Papistæ putant aliquam esse in homine præparationem naturalem ad primam percipiendam gratiam,& Deum nostris meritis ad alteram concedendam prouocari? Et illud cuiusmodi est,quòd Originis peccatum volunt in Baptismo nõ *Ioh.8.e.36*

quod ad eius imputationem duntaxat, sed etiá quod ad rem ipsam attinet, vno momento prorsus elui, & reliquos in nobis prauos motus, per se peccata esse negant nisi accedente consensu? Id verò si ita est, vbi illud peccatum peccans, & sensim quotidie moriens in hominibus etiam sanctissimis [e]? vnde caro Spiritui repugnans [f]? vnde acerbi isti fructus, si prorsus mortua est amara illa radix? Denique vt suam inscitiam isti prodant, & mortiferum illum morbum extenuent, quem nunquam satis pussumus intelligere & exhorrescere, docent quædam esse venialia peccata, id est quæ mortem non mereantur. Ignorant enim quæ sit Dei maiestas, & iustitia: quid sit non imputari peccatum: quale denique sit illud Pauli [a], *Regnauit mors ab Adam ad Mosem, etiam in ijs qui non peccarunt ad similitudinem transgressionis Adami.* Qui sic verò de morbo peccáti loquuntur, an mirum est eos quantum sit Christi beneficium ignorare?

e *Ro.7.c.13. & deinceps.* f *Gal.5.c.17* a *Ro.5.c.14.*

VIII. Papistæ ignorant quid sit fides, ac proinde quo pacto possit Christi beneficium miseris & perditis hominibus applicari.

Sicut vna extat Christi iustitia cuius gratuita imputatione iusti sumus, ita etiam vna fides est per quã possit Christus suis electis applicari, sicut suo loco copiosè declarauimus. Sed & illud ostendimus, fidẽ illam de qua hìc agitur, non esse quandam historicã notitiam rerũ à Deo proditarum, sed certũ testimonium quod Spiritus perhibet singulorum electorum cordibus, vt sciant quæ sibi Pater in Christo donarit, quoniam sint à Deo electi ante iacta mundi fundamẽta, cum quo Spiritus sancti testimonio necessariò cohæret veteris hominis mortificatio, & noui hominis creatio, vnde promanant iustitiæ fructus. At miseri Papistæ, fidem putant nihil aliud esse, quàm credere vera

vera esse quæ in Scripturis dicuntur, idque in genere & implicitè duntaxat, vt loquuntur, quum ipse Diabolus sigillatim illa norit, nec tamen fidelis dici possit: quibus deinde adiungũt quicquid libuit quibusuis cõminiſci, modò sit ex consuetudine vel ex eius consensu, qui se Deũ terrestrem vocat, approbatũ. Nefas enim putant verbum Dei permittere Laicis, (quos vocant) legendum, & eos iubent credere quod ignorant. Imò verò quotus quisque est ipsorum sacrificulorum qui verbum Dei non dico interpretari, sed vel legere satis expeditè possit? Fiduciam autem salutis arrogantiam vocant, quum interim ex suis & sanctorum meritis, salutem hominum suspendant. Mors autem Christi cedò quo pacto ægrotis applicatur? nempe confessione auriculari, peregrinationibus, certis ieiunijs, dierum & ciborum discrimine, cuculla, numeratis precibus, sed in primis oblatione ipsius Christi in missa, idque ex *opere operato*, vt loquuntur. En in quæ præcipitia ferantur, qui à via veritatis aberrant.

IX. Papistæ neque Legis neque Euangelij vsum norunt.

Ostendimus Legem Dei vnicam esse ac perfectam iustitiæ regulam, & vni Deo fas esse leges conscientijs ponere. Isti verò quid non audent? Leges legibus quotidie cumulant. Ex ipsis decem præceptis illud in quo tam expressè prohibetur omnis imaginum cultus, illud, inquam, mandatum quo nullum frequentiùs in Scripturis inculcatur, prorsus expunxerunt: & mutatis tantùm veterũ Deorum nominibus, omni idolorũ genere sua templa oppleuerunt: Deũ ipsum corporali figura repræsentarunt, nec hominibus dũtaxat omnium ætatum & ordinum, & deabus omnis generis meretricio cultu fabricatis, sed etiam equis,

asinis,lupis,ceruis,canibus,porcis,draconibus, Diabolis,denique altaria sua onerarunt, & putribus cadaueribus omnia oppleuerunt,inque omnium istorũ cultu summam pietatis posuerunt.

a *Mat.15.a.* 2.3.9.*Act.* 13.*f.*38.*&* 15.*c.*10.18 1.*Cor.*7.*f.* 35,*Col.*2.*c.* 16.17.18. *d.*22.*&* *deinceps.* 1.*Ti.*4.*a.*1. 2.3,2.*Tim* 3.*d.*16.17.

Cæremonialis legis iugum docuimus aduentu Christi excussum. Istorum autem religio quid aliud complectitur quàm infinitam & inexplicabilem cæremoniarum farraginem, quas partim excogitarunt, partim ex Iudaismo & Paganismo sumptas in Ecclesiam Dei transtulerunt,Christo & Apostolis frustrà id prohibentibus [a]?

Præterea,quum sicut suo loco declarauimus,nunquam tradita fuerit Lex ad nos seruandos,sed è contrario ad nos coarguendos,vt animis sensu peccatorum vulneratis ad vnum Christum accurramus, qui nostrũ onus in sè recipiat,isti contrà non modò quęrunt salutem in Lege,id est vitam in morte, sed etiã, vt sunt omnium hominum minimè sani,non cessant nouos quotidie laqueos miseris conscientijs inijcere,quasi videlicet Lex Domini omnibus condemnãdis non sufficiat.

In altera verò specie verbi Dei quam diximus Euangelium vocari, non minùs est pernicios̃us Papistarum error. Quum enim Euangelium à Mose sub figuris legalibus propositum, & per Prophetas promissum,à Christo exhibitum, & noui testamenti libris comprehensũ, idcirco sit patefactum mundo vt in Christo per fidẽ apprehenso gratis iustificemur & sanctificemur,sicut copiosè suo loco demõstrauimus: isti è contrario existimant Euangelicam doctrinam nihil aliud esse quam Legem quandam perfectiorem Mosaica. Id verò si ita esset, nempe nos doceret non in Christo qui frustrà esset mortuus, sed in nostra iustitia spem nostram collocare, ac proinde,

vt

vt ait Paulus, irritam faceret promissionem. Nunquam enim lex iustificat corã Deo, nisi à quibus perfectissimè præstatur: quem conditionem si implere homines potuissent, neque Christo neque Euangelio fuisset opus, vt à Legis maledictione redimeremur. Quæso verò, lector, an qui de Euangelio ita sentit, dignus est qui Christianus censeatur? Sed hunc errorem stoliditas alia consequitur. Neque enim cura illis est Euangelij prædicandi, sed quasi in ipsis syllabis magica quædam vis insit, incognita lingua & frustillatim recitandi, multo cum suffitu adorandi, è collo deniq; suspendẽdi, vt venefici solent. Quod si quando per interualla conciones habentur, tum verò qui bus commentis & sacrilegijs polluitur ab ijs qui nõ aliunde quàm ex Euangelij cauponatione & miserorum hominum pernicie viuunt?

X. Ignorat Papatus quæ sint bona opera, & quis sit eorum fructus.

Controuersias de bonis operibus suo loco sigillatim explicauimus, & calumniã illorum diluimus, qui clamitant bona opera à nobis damnari, quum è contrario, teste Apostolo, doctrina de gratuita per fidem in Christo iustificatione legem stabiliat, quæ alioquin euerteretur. At ego ex ijs quæ de hoc argumento alibi explicauimus, cuiuis constare posse dico, mercenarijs istis bonorũ operũ patronis nõ magis quam olim cæcis illis Pharisæis cõstare, neque ex quo fonte sint bona opera petenda, nec quænam illa sint, nec quatenus nobis vtilia dicãtur, quò fit vt disputatio de bonis operibus non magis ad eos pertineat quàm disputatio de pudicitia & castitate ad decantatissimas meretrices.

Sed est in primis considerandum quàm horrendis sacrilegijs excellentissimum illud opus precum siue

inuocationis Dei contaminent. Nam præterquam quòd fictitia merita quoruncunque libuit, ſolent cum Chriſti ſanguine, manifeſtiſſima impietate, per miſcere: Scripturæ centones nulla prorſus ratione conſuere, certos homines ad precandum conducere: incognita lingua neſcio quid inconditum, atque adeò apertas blaſphemias blaterare: vt, inquã, iſta prę termittam, quid eſt Deum ludibrio habere ſi hoc non eſt quod palàm factitant quum volunt numeratis pre cibus Deum demereri, & peccata tum viuorum tum mortuorum hac compoſitione redimi profitentur?

XI. Papiſtæ non ſatis tenent quæ ſint Sacramenta, & in quem vſum inſtituta fuerint.

Quiſquis ea quæ de Sacramentis diximus comparabit cum Papiſticis traditionibus, facilè cognoſcet quàm horrenda ſit Sacramẽtorum profanatio apud Papiſtas. Eam verò per ſingulas partes explicare quoniam valdè fuerit operoſum, præcipua duntaxat attingam.

Primum igitur magni iſti Theologi, non contẽti Baptiſmum infinitis modis polluiſſe, & Cœnam Domini penitus aboleuiſſe, vt ſuo loco docebimus: poſtea ex vna ſimplici cæremonia Impoſitionis manuum quatuor fecerunt Sacramenta, Confirmationem, Pœnitentiam, Ordinem, & extremam, quam vocant, Vnctionem. Deinde, quoniam ſeptenario numero mirum in modum delectantur, Matrimonium etiam inter Sacramenta retulerunt, vt numerũ illum explerent. Quanta verò ſit eorum ſtupiditas, ne quid acerbius dicam, qui hæc portenta defendunt, agedũ conſideremus.

De Baptiſmo Papiſtico.

Quod igitur attinet ad Baptiſmum, quanuis conſtet Dominum ſingulari beneficio conſeruantem Eccleſiæ

cleſiæ ſuæ reliquias in medio Papatu, noluiſſe tantũ licere Satanæ vt baptiſmũ illic aboleret, quũ ibi quoq; baptizetur in nomẽ Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, & Baptiſmi efficacia minimè pendeat à miniſtri perſona, tamen piorum mentes non poſſunt nõ magnopere cohorreſcere quoties ſeriò cogitant quibus ſacrilegijs Sacramentum illud noſtræ initiationis in Papatu contaminetur.

Primùm enim, vbi cognitio nulla eſt, ibi nulla fides exiſtit. Atqui non minùs indignè abſque fide ſumitur, aut petitur Baptiſmus, quàm Cœna Domini. Ibi verò quænã cognitio eſſe poteſt vbi omnia peregrino & pleriſque incognito idiomate peraguntur? Deinde, etiam ſi vulgata lingua, vel omnibus cognita illic adhiberetur, quid tamen inde accederet emolumenti ad inſtitutionem & vſum baptiſmi cognoſcendum, & promiſſiones per fidem apprehendendas, quum in ea formula baptizandi qua Papiſtæ vtuntur, nihil eiuſmodi niſi prorſus ieiunè explicetur?

Secundo, quot ſigna & ritus adiunxerunt ſimplici Dei ordinationi, quibus obſtupeſcant homines potiùs quàm proficiant in Symbolis à Filio Dei conſtitutis? Atqui quum nulla res ſignis illis ſubſit, propterea quòd vnius Dei eſt promittere, & ſuis promiſſionibus ſigillum ſuum apponere: conſequitur omnia illa commẽta, inanes eſſe laruas, & vana opinione miſeros homines illis propoſitis ſignis deludi. Audere verò ſua commenta cum Dei veritate cõmiſcere, & in ſimplicitate cuius auctor eſt Filius Dei, non acquieſcere, an non, obſecro, ſacrilegium eſt? Hoc tamen non ignoramus, ſolere iſta vetuſtatis obtentu defendi. Sed ſi vetuſtas quæritur, quis eſt antiquior Iohanne Baptiſta, & Apoſtolis? cur igitur iſtos potiùs

non imitamur ? cur vnius Christi auctoritate conten ti non sumus ? Nam quod Chrisma & eiusmodi alia nonnulli ad ipsos vsque Apostolos referunt, ex ipsa Lucæ historia refelli potest. Vetustos autem patres, quorum sanè (quod cum piorum pace dictum sit) nō satis magna fuit in huiusmodi rebus attentio, cōstat huiusmodi ritus nunquā eodē loco habuisse, atque ipsam Christi ordinationem. Itaque vel sola superstitio quæ ab his initijs profecta omnium mentes nunc occupauit, & Christi beneficiū prorsus obscurauit, omnino efficere debet vt istis omnibus semel abrogatis sua illa purissima simplicitas Baptismo relinquatur, ne amplius in externis signis homines obstupescant, quum è contrario instituta sint Sacramēta vt homines è terra in cælum subuehant.

Tertiò quum gratia non sit Sacramentis alligata, sed promissione & veritate Dei nitatur, adeò vt vbi contemptus non interuenit, sufficiat ad salutem promissio fide apprehensa quæ patres & sobolē sanctificat: isti è contrario signis & operi (vt loquuntur) operato tribuunt quod vnius est Spiritus: & Baptismum adeò constituunt necessariū ad salutem, vt mulierculis etiā concedant baptizandi munus, ingruēte quam excogitarunt necessitate. Fatemur tamen hūc posteriorem errorem non vulgaribus auctoribus niti, sed quum ipsa Sacramentorum instituendorum causa id refellat, quorsum auctoritatem hominum aduersus Dei veritatem? Mulierum autem Baptismus nō magis est certè tolerabilis quàm si loqui illis permitteretur in Ecclesia, quum abutatur Baptismo qui doctrinam non coniungit, & iam pridem hoc vitium Carthaginensi concilio fuit meritò damnatum.

Quartò, quum Baptismus in nobis obsignet remissionem peccatorum, & sanctificationem in nobis

bis incoatam, in qua nos quotidie proficere oportet: isti sic omnia perturbant, vt originis peccatum, cuius mali magnitudinem non intelligunt, leui aquæ aspergine velint statim ac penitus in nobis elui, & eius reliquias doceant peccati rationem non habere, nisi consensus accedat: quam doctrinam prorsus diabolicam esse affirmamus.

De Sacramento altaris Papistico.

Baptismum ostendimus miserè pollutum in Papatu, non tamen penitus sublatum, quoniam Domino placuit Ecclesiæ suæ ædificium inter illas ruinas sartum tectum tueri. Cœnam autem Domini affirmo, non tantùm horrendis sacrilegijs ab illis contaminatam esse, verumetiam in execrandum idolum cōmutatam, quōd ipsi *Sacramentum altaris* vocant, & peculiari cultu colunt, quem *Missam* appellant. Huius autem nefarij sceleris præcipua tantùm capita nunc attingam.

Primùm igitur, quum in Sacramentis duo necessariò spectentur, signum videlicet, & res significata, sicut ipsum Sacramenti nomen declarat: isti, vt sua mysteria scilicet redderent augustiora, docent signa, id est, panem & vinum penitus aboleri, & sola accidentia, putà albedinem, & saporem relinqui. Id verò si ita esset, qua ratione dici poterunt Sacramenta, & vbi tandem illa signorum & rei significatæ analogia?

Secundò, coniunctio rei cum signis nititur Dei ordinatione, & corporeum aut naturalem situm non declarat, sed huc dūtaxat respicit vt sciamus verè nobis spirituali modo per fidem comprehendendū donari quod symbola verè significant, id est corpus & sanguinem Domini. At isti volunt arcana quadā pronuntiatione verborum quæ Sacramentalia vocant, panem & vinum transsubstantiari & transelementari

in reale corpus & ſubſtantialem ſanguinem Chriſti, quod totum magicum eſt non Chriſtianum: vt taceam quod antea expoſuimus, Chriſtū hoc modo ſua humanitate ſpoliari.

Tertiò, debet ordinatio Dei & myſteriorum explicatio planè ac perſpicuè populo declarari, vt torā actionem intelligat, & fides ſuum habeat obiectum, in quod feratur, promiſſionem videlicet verbo Dei ſcripto & explicato cōprehenſam, & corporeis adhibitis ſymbolis, maioris efficaciæ cauſa, veluti veſtitā. At iſti, Deus bone, quàm indignè profanarunt hanc inſtitutionem, fœdo illo ſuo & execrando canone? & quota eſt portio Miſſaticæ actionis, ipſa inſtitutionis Domini demurmuratio? Deinde quorſum iſta recitatio, etiamſi alioqui pura eſſet: quum fiat peregrino & incognito idiomate, & ſit etiam illis religio, ſacroſanctas ſuas ſyllabas clara voce pronuntiare? En præclaram illam conſecrationem, propter quam ſacrificī clamitant ſe eſſe ipſa Maria virgine ſanctiores. Nam, inquiunt, Maria tantùm concepit Chriſtū quē nos creamus. Sed excipere ſaltem poſſet Maria, ſe ſtudioſè nutriuiſſe, quem iſti crudeliter vorant.

Quartò, Cœna Domini eſt Sacramentum communionis fidelium, cum Chriſto & inter ſe coniunctorū. At iſti contra naturam huius Sacramēti, quod propterea vocatur σύναξις & contra veterem omnē Eccleſiæ morem, publicam actionem in ſuas priuatas Miſſas commutarunt, vnde poſtea orta ſunt iſta ſacrificulorum agmina, quorum nec ventri facultates nec libidini mulieres totius orbis iam ſufficiant.

Quintò, ad Cœnam accedimus, vt fiamus corporis & ſanguinis Domini per fidem participes, quorum ſymbola corporaliter ſinguli ſumimus, ex Domini mandato, ACCIPITE, COMEDITE, BIBITE,

BITE, quæ verba adhuc iſti aſini enuntiant, vt ſe-ipſos gladio ſuo iugulent. At iſti in ſua Miſſa nec panem nec vinum cuiquam præbent, ſed ſoli conuiuãtur. Vbi verò tandem comperient licere per vicarium ſumere Sacramenta? & quo loco numerabunt Calixtum diſertè excommunicantem omnes illos qui ſacris interſunt, neque Sacramenta ſumunt?

Sextò, fundamentum totius iſtius actionis eſt oblatio illa Chriſti ſemel facta, cuius memoriã maximo cum fructu celebramus. Iſti è contrario docent ſeſe quotidie Chriſtum offerre Patri pro viuis & mortuis, quem abominandum errorem ſuo loco refutauimus. Cap. perata conſecratione diſt. 2. de conſecratione. In decretis.

Septimò, Deus in his miſterijs duo ſymbola diſtinctè, maioris efficaciæ cauſa, inſtituit, & de poculo ſumendo diſertè cauit: neque vnquam aliter in vetere Eccleſia fuit factitatũ, adeò vt etiam Gelaſius Papa eos omnes excommunicarit qui alterum tantùm ſymbolum ſumerent. At iſti ſua ſacrilega audacia freti, omnibus Laicis, quos vocant, vſu poculi interdixerunt: & ita ſunt impudentes vt nunc etiam auſint ſuum illud ſacrilegium tueri. C. comperimus. De conſecra. diſt. 2.

Octauò, conſtituit Dominus vt ſeorſum panis frãgeretur & fractus diſtribueretur, quam fractionis cęremoniam minimè inanem eſſe, ſuo loco declarauimus. At iſti panem ſuum nulli diſtribuendum frangunt, & ebrioſorum inſtar vino macerant. Si cauſam roges, ſtatim Cereris & Bacchi myſteria intelliges non Chriſti, quæ pudet attingere. Certè non poſſunt ipſi inficiari quin hoc diſertè inhibuerit ſaltem Iulius, quem inter ſuos Papas numerant.

Nonò, inſtituta ſunt Sacramenta vt omnes ſenſus excitent ad cæleſtium rerum comprehenſionem quaſi in rẽ ipſam præſentem adducamur, cuius

rei testimonium esse oportuerat vel illud solenne SVRSVM CORDA, quod isti quoque cantillant, vt suam tum ignorantiam, tum impudentiam prodant. At isti prorsus è contrario testantur se panem & vinum magico susurro transsubstantiare, & (proh Idolomaniam ipsis etiam vetustissimis Ididolatris execrandam) iubent tanquam ipsissimum Christum adorari crustulum quod impuris manibus ostentant, donec tandem crudeliter vorent. Certè debuerat saltem eos profani alioqui scriptoris Ciceronis auctoritas ab hac insania reuocare, quandoquidem Christum audire nolunt clamantem se in cælum abire, nec inde rediturum antequam orbem terrarum iudicet. *Nam*, inquit ille alicubi, *quem tam amentem esse putas qui illud quo vescatur Deum credat esse?* Hæc ille, qui si hodie esset superstes, iure profectò istos redargueret vt amentes qui hoc credunt, damnaret vt immanes, qui ferro & flammis hanc suam insaniam tuentur.

Cicero li. de Nat. Deorum.

Decimò, quum ad certum vsum destinata sint Sacramenta, cuius vnius causa Sacramenta dicuntur, omnino efficitur extra actionem ipsam Sacramenta non esse. At isti vt rem quãdam in sese sanctissimam, imò vt ipsissimum Christum omnis sanctitatis auctorem, colunt magicum suum crustulũ, armario includunt, circungestant, adorant, denique nihil non faciunt vt testentur se non alium Deum agnoscere. idque præsertim in solenni illo die festo quem primus Vrbanus quartus constituit anno 1264. At cur sanguinẽ quoque huic pompæ non reseruant? an quod vereantur ne arescat? atqui non iam est vinũ, si ipsis credimus, sed sanguis Domini glorioſus & incorruptus. An quòd vereantur, ne fortè effundatur? Atqui Hieronimus id non verebatur, Exuperi, Tholosatis Episcopi frugalitatem laudans, qui sanguinem Domini in vitreo

vitreo calice, corpus verò in vimineo calatho,(id eſt ſanguinis & corporis ſymbola) abſque vlla pompa, reponeret. Quid obſtat verò quominus veterem etiam Eccleſiam,vt non ſatis religioſam,coarguant,quę panem olim ori non inderet, vt iſti ſolent, ſed traderet in manus? Id enim ita eſſe liquet ſaltem ex illo Carthaginenſis Synodi canone, in quo prohibetur ne mortuorum corporibus Euchariſtia præbeatur, *Quoniam*, inquit, *ſcriptum eſt, accipite, comedite: corpora verò mortuorum neque accipere poſſunt neque comedere*. Vbi tum erat igitur tanta iſta religio non dico panem, ſed ne calicem quidem attingendi? vbi denique omnis iſta Idolomania quæ iam pridem ipſis profanis gentibus Chriſtianam religionem deridendam præbet?

Can 18. Carth. Conc. in Grę codice.

Vndecimò,quum ab ordinatione Dei non autem ab hominibus pendeat Sacramenti veritas,iſti è contrario ſuam conſecrationem ſuſpendunt à conſecrãtis,vt loquuntur,intentione. Ecquis verò iſtius intẽtionis idoneus iudex erit? Ita fit vt miſeri Papiſtæ ex ipſorum placitis,vel ſint idololatræ, (panis enim adorationem ne ipſi quidem inficiabuntur eſſe idololatriam) vel non niſi ſub cõditione, SI FORTE AFFVERIT, furfuraceum illud ſuum numen poſſint adorare,quum de conſecrantis animo non poſſit illis certo conſtare.

Duodecimò,Rem Sacramenti, id eſt Chriſtum ipſum vna fides percipit,vt ſuo loco declarauimus. At iſti volunt à quibuſuis percipi,quod quidem non minùs ineptum eſt quàm ſi dicerent cæcos ſine oculis videre,vel claudos abſque pedibus ambulare. Denique quæ tandem eſt conuenientia Cœnæ Domini, quæ quò ſimplicior eſt eò quoque purior eſt ac diuinior,cum iſto hiſtrionico apparatu? ea nimirum quę

luci cum tenebris,& Christo cum Belial. Et tamen istis sumus Sacramentarij execrabiles, quòd Sacramentalem actionem ferre non possimus tot sacrilegijs pollui.

De prorsus fictitijs Papisticis Sacramentis, ac primum quidem de Confirmatione.

Constat veteres Episcopos siue Ecclesiarũ pastores, sedulò curasse vt fidelium liberi in infantia baptizati, & quicunque etiam adulti ad Christi cognitionem accedebant, primùm omnium instituerentur in Christiana doctrina, vnde etiam Catechumeni Græco vocabulo dicebantur. Sed & antequam vel illi ad synnaxim, vel isti ad Baptismum admitterentur, publicam fidei confessionem ab vtrisque requirebãt, vt quoad eius fieri posset, sacramentorum profanationem vitarent. Quos igitur in ista inquisitione cõperiebant ita profeciisse, vt digni viderentur qui reliquo cœtui adiungerentur, eos in fide confirmatos, impositis manibus, publicè suis precibus Deo & Ecclesiæ commendabant. Idem quoque in ijs fieri solebat, qui quum ad hæreticos defeciissent, vel extra cõmunionem fuissent electi, ad Ecclesiæ grẽmium redibant, & adhibita manuũ impositione post sedulã & ardentẽ admonitionem cum Ecclesiæ cœtu in gratiã redibant. Hunc igitur Catechismi ritum vt prorsus necessarium, in Ecclesijs nostris singulari Dei beneficio instaurauimus. At isti asini aptiores ad stiuam quàm ad gubernacula Ecclesiæ tenenda, catechismũ ne de nomine quidem norunt: infantes à se, non sine horrenda pollutione, baptizatos, monent ab igne & aqua diligenter custodiri, & Latino tandẽ idiomate, sine vlla prorsus interpretatione Dominicam orationem, Symbolum Apostolorum, sed non nisi adiuncta salutatione Angelica, & inuocatione Mariæ virginis,

virginis, domi vel in schola doceri. Adduntur à pauciſſimis quibuſdam præcepta Decalogi vulgari rithmo ineptiſſimo deprauata, & ſublato de nullis colẽdis imaginibus mandato decurtata: ſed quibus neceſſe ſit attexere Eccleſiæ præcepta quæ vocant, id eſt, Antichriſtianæ doctrinæ ſummam. Hic eſt Papiſticæ Eccleſiæ Catechiſmus, donec ſuccedat Confeſſionis auricularis carnificina, de qua poſteà dicemus. Pro inquiſitione verò illa quam expoſuimus ſubſtituerunt egregium illud Confirmationis ſacramentũ, abſque verbo, abſque vlla promiſſione, abſque vllo Dei mandato. Et quoniam impoſitio manuum viſa eſt nimium leuis, adiunxerunt etiam ſacroſanctũ ſuum Chriſma, & quaſcunque libuit aniles nugas & hiſtrionicas cæremonias. En egregium illud Sacramentum Confirmationis Papiſticæ, tantopere ab illis decantatum vt ętiam auſi ſint, ſub Fabiani Romani Epiſcopi & alterius cuiuſdam Melchiadis nomine, Baptiſmo anteponere.

De pœnitentia Papiſtica.

Quid de Pœnitentia ſeu potiùs reſipiſcentia doceamus ex Dei verbo, quæ ſit eius ſedes, quis vſus, quæ partes, ſuo loco explicauimus. At iſti confundẽtes cum illa omnibus fidelibus communi & perpetua vitæ correctione publicam Eccleſiæ diſciplinam quę in lapſis per manuum Impoſitionem, & peccati veniam publicè petitam, cæteraſque externas ſatisfactiones exercebatur, ſicut alibi demonſtrauimus, nouũ rurſus Pœnitentiæ Sacramentum excogitarunt, cuius tres partes conſtituunt, nempe Cõtritionem cordis, Confeſſionem oris, eamque apud ſacrificum ſecretò depoſitam: ac denique Satisfactionem pro remiſſione peccatorum. Nos autem in hac verè diabolica doctrina præcipuè iſta reprehendimus.

Primùm, quòd nimium apertè abutantur Sacramenti nomine, quum ad hos ritus id transferunt, etiam si illis daremus, nihil hìc ab ipsis fieri quod non sit à Deo præscriptum.

Secundò, quòd illa omnia requirant in omnibus adultis tanquam necessaria ad salutem, qua in re declarant se non esse conscientiarum medicos, sed crudelissimos carnifices, vt mox dicemus.

Tertiò, quòd tria illa perfectè velint præstari: vnde efficitur, promptum illud iter esse ad desperationem.

Quartò, quòd in his rebus doceant positam esse peccatorum remissionem, insigni cum Christi contumelia.

Et hæc quidem generaliter dicta sunto.

Quid autem de singulis illis partibus pœnitentiæ statuamus, sic explico.

De Contritione.

Agnoscimus veram resipiscentiam incipere à serio peccati sensu, siue tristitia secundum Deũ, vt loquitur Apostolus: sed adiungimus hanc contritionem seu vulnerationem cordis, iter esse duntaxat ad gratuitam Dei misericordiam, idq; non simpliciter, sed καὶὰ συμβεβηκὸς, quoniam videlicet quò acriùs pungit morbus, eò ardentiùs requiritur medicus, ab ijs quidẽ qui de salute non desperarunt. Nàm in alijs, vt in Iuda apparuit, contritio ista tantùm abest vt sit salutaris, vt è contrario sit prorsus mortifera. Itaque Papistarum doctrinam vt blasphemam in eo reprehendimus, quòd ipsam contritionem docent partem esse satisfactionis pro nostris peccatis coram Deo: & ita transferunt ad homines quod vnius Christi propriũ est. Deinde, obsecro, quid satis aptè possunt de contritione cordis præcipere, qui præterquam quòd nõ tenent quod sit originis vitium, & quanta vis omniũ pecca-

peccatorũ ad nos perdendos, certissima etiam peccata & omnium maxima, cuiusmodi sunt, idololatria, & mortuorũ inuocatio, & cætera infinita, non modò non reprehendunt, sed etiã (proh inauditã impudentiam) vt certa aduersus æternam damnationem remedia miseris mortalibus proponunt?

De confessione.

Sex confessionum genera vrgemus ex Dei verbo, non tamen quasi in ijs posita sit vlla ex parte satisfactio pro peccatis, sed quòd veram resipiscentiam tales fructus consequantur.

Prima igitur confessio publica est totiùs Ecclesiæ, sese coram Deo peccatricẽ in communi cœtu profitentis, & præeunte verbi ministro veniã à Patre cælesti seriò flagitantis in Christi vnius seruatoris nomine. Itaque Papisticam formulam Confessionis à qua solent execranda sua sacra auspicari, & quæ vulgò vocatur CONFITEOR, toto pectore execramur, non modò vt ineptam, quum peregrino & incognito idiomate concipiatur, sed etiam vt apertè blasphemam in Filium Dei, quoniam mortuorum & absentium intercessionem requirit, quum vnus sit Dei & hominum mediator Iesus Christus, in cuius vnius nomine est inuocandus Pater, sicut nobis Spiritus sanctus ex verbo suggerit.

Altera confessio est priuata, quum vnusquisque vel domi, vel foris cor suum effundit coram Deo, & veniam precatur, sicut vnicuique sedulò faciendum est, omnibus penè momentis, Dauidis & Publicani illius & omnium sanctorum exemplo [a].

Tertia confessio priuata quidem est, sed à superiore diuersa, quum videlicet quispiam vero Dei zelo incensus palàm sese peccatorem prodit [b], & misericordiam Dei implorat, quod tamen nec passim

a *Psa.* 32. *b.* 5. *&* 51. *a.* 1 & alibi passim. *Dan.* 9. 1. *Io.* 1. *d.* 9. 10, *Mat.* 6. *a.* 6. 8. *c.* 13. 14, *Luc.* 15 *c.* 21. 22.

b *Psa.* 51. *Mat.* 3. *b.* 6 *Luc.* 13. *f.* 40. *&c.* 1. *Co.* 15. *c.* 5. 1. *Tim.* 1. *c.* 14.

nec temerè faciendum esse vel ex eo intelligi potest, quòd non aliud iter sit ad decipiendos simplices, ad deuorandas & subuertendas integras domos, ad Ecclesiam denique quibusuis superstitionibus perdẽdam, certius ac compendiosius.

Quartum confessionis Christianæ genus ad disciplinam Ecclesiæ pertinet, cui videlicet tum demum locus est, quum ij quorum excommunicatio publicè fuit patefacta ex Presbyterij auctoritate, palàm peccatum agnoscunt vt publico offendiculo medeantur, & Ecclesiæ recõcilientur. Est autẽm hæc confessio in plerisque Papisticis Ecclesijs ita penitus sublata, vt ne de nomine quidem sit cognita. Reliquiæ verò illius in paucis quibusdam Ecclesijs seruatæ, quid tandem habent cum vera Ecclesiastica disciplina commune? quídve aliud testantur quàm miserabilem Ecclesiæ ruinam? Nam, vt omittam indulgentias & alia id genus, quid est ista pompa magis ridiculum? Adsunt certo die ante Pascha in Ecclesia Cathedrali (quàm appellant) quos vocant *Pœnitentes*, pauperes & obscuri homines, velata facie ne agnosci possint: præit illis pœnitentiarius sacrificus suam tristitiam plerũque & vultu & ventre satis declarans, & septem illos Psalmos pœnitentiales demurmurans: sequuntur illi tristi facie, & genibus nitentes, à valuis Ecclesiæ ad magnum altare. Ibi recitatur execranda Litania, in qua tot penè sunt blasphemiæ in Filium Dei quot insunt syllabæ: babetur conciuncula ad omnes stabiliendos veræ pœnitentiæ abusus: tandem celebratur sacrum in quo iterum offeratur Christus. En Papisticam sanctimoniam & pœnitẽtiam, qua tradunt redimi peccata.

Quinta confessionis species omnium est eorum qui proximum offenderunt, ac proinde culpã agnoscere

ſcere & priuatim ab eo quem offenderunt veniã petere, ex charitatis Chriſtianæ regula tenentur [a].

Sextum denique confeſſionis genus ad eos ſpectat qui vt conſcientiarum ſuarum paci conſulant, vel cum fratribus à quibus ſolatiũ expectant, vel cũ paſtoribus communicant quod eos premit. & ſuam triſtitiam velut in eorum ſinum deponunt, vt eorũ & conſilio & precibus iuuentur, quam confeſſionem meritò commendat Iacobus [b]. Sed quorſum hoc ad ſuſurratoriam illam confeſſionem Papiſticã? Primùm enim, vnde iſtius confeſſionis neceſſitas ad ſalutem? vnde leges iſtæ plus quàm tyrannicæ, de ſingulorum peccatorum enumeratione, quaſi in hoc poſita ſit illorum remiſſio? Nam quod olim Romana præſertim Eccleſia factitabat, delecto Presbytero, qui pœnitẽtium, id eſt, eorum quibus publica pœna ex Presbyterij auctoritate præſcripta erat, exomologeſim audiret vice totius Eccleſiæ, vt eorum pudori parceretur: lõgè profectò diuerſum fuit ab iſta conſcientiarum carnificina. Neque enim hæc conſuetudo ad omnes pertinebat, neq; de ſingulis peccatis ibi mẽtio fiebat, nec ita tũ erat deprauata doctrina de gratuita peccatorum remiſſione, vt homines ſperarent hac ratione ſe illam promereri. Nondum enim exortus erat egregius ille Pontifex Innocentius tertius, qui hoc intollerabili iugo cõſcientias opprimeret [a], & Chriſti beneficium aboleret. Et nimium ridiculi ſunt, vel ipſis teſtibus Canoniſtis, qui auricularem iſtã confeſſionẽ putant ex verbo Dei cõſtitutam. Nam vt præteream quod hiſtoriæ Eccleſiaſticæ [b] ſcriptores apertè dicũt, pœnitentiarium illum Presbyterum Nouatianorum cauſa primùm fuiſſe in Romana Eccleſia inſtitutum Decij Imperatoris temporibus, quam cõſuetudinem aliæ poſtea pleræque Eccleſiæ vltrò ſequutæ ſint, vt

a *Mat.4.d. 23.24.&6 b.14.15.*

b *Iac.5.d.16.*

a C. Omnis vtriuſq; ſexus. De ſumma Trini. in antiq.

b Niceph.eccle. lib.12. c.28.

hoc,inquam,omittam,ſi confeſſio iſta, quanuis multùm diuerſa ab ea quam Innocentius inuexit, verbo Dei expreſſo conſtituta fuit , quo iure Nectarius Theodoſij Magni temporibus Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ Epiſcopus, illam ſuſtulit ? ac nequis calumniari poſſit illum præter officium feciſſe, refert hiſtoria Eccleſias Orientis ſecutas illius exemplum: & Chriſoſtomus Nectarij ſucceſſor hoc factum multis locis ſatis expreſſè comprobauit [a]. Hæc ſunt igitur confeſſionum Chriſtianarum genera, in hoc quidem argumento. Nam alioqui Confeſſionis nomen ſatis cõſtat interdum pro Chriſtianiſmi profeſſione, itemque pro ſacrificio laudis & gratiarum actionis paſſim in ſacris litteris vſurpari,quò fit vt ridiculi planè ſint aduerſarij, qui quoties audiunt confeſſionis nomen, toties ſuam illam auricularem confeſſionem nominari putant. Sed iſta in præſenti noluimus attingere,quoniam non ſunt huius argumenti.

a Chriſtopho.in Pſa. 51.ho.1.itẽ in ſermo. de pœnitẽtia. itẽ ho. 5.de incõprehẽſibili Dei natura Item ho.4. de Lazaro. Aug.li.10. Cõfeſſ.c.3.

De ſatisfactione.

In controuerſia de Satisfactione aſini iſti Cumani planè auriculas ſuas produnt,quoniamhîc neceſſe eſt vt Satanas ſe Satanam declaret. Nullus mentis compos vnquam de his duobus dubitauit: nempe, quin iuſtitiæ Dei ſit ſatisfaciendum, quoniam ſuæ iuſtitiæ obliuiſci non poteſt: quin ficta ſit pœnitentia quæ vitæ emendationem,ac proinde culpæ agnitionem ac compenſationem ſecum nõ trahit. Sed quoniam homines nec quanta ſit Dei iuſtitia, nec quãta ſua impotentia cognoſcere vnquam potuerunt, niſi in Dei ſchola eruditi, idcirco falſiſſimas concluſiones veris illis principijs prorſus repugnantes collegerunt. Putarũt enim ſe poſſe quadam compenſatione ſatisfacere Dei iuſtitiæ: qua in re planè ac perſpicuè ſe prorſus ſtupidos ſimul & intollerabili arrogantia

gãtia præditos declararunt. Nam quis eſt iſtæ ſtupor, hominẽ in animum inducere ſe nõ modò põdus iræ Dei perferre, ſed etiam bene de Deo mereri poſſe? & quis furor eſt, pauperem ſibi in extrema ſua inopia placere malle, quàm gratis ex alieno ſumere? quàm incredibilis autem eſt arrogantiæ, audere quẽquam cum Deo venire in diſceptationem, & ſuas quas opinatur, ſatisfactiones ei opponere? Sed hæc inſania multò magis ſe prodit, quũ ad rem ipſam ventũ eſt, & de ijs quæritur quibus homines confidũt. Qui enĩ hîc proferrent Papiſtæ, vt cæteros omittamus? aquam benedictam, conſtructa templa, numeratas preces apud hoc vel illud cadauer, hũc vel illum lapidẽ, cæreos, lampadas, cucullas, denique, vt ad grauiſſima veniam, ieiunia, χαμευνίας, cilicia, eleemoſynas, peregrinationes, Miſſas, emptas deniq; indulgentias annulo piſcatoris obſignatas. Sed quid ſi reſpondeat Dominus, O curuæ in terris animæ & cæleſtium inanes, quid mihi niſi impurum profertis? quorſum iſta quæ partim expreſſè teſtatus ſum me execrari, partĩ nunquam in eum finem requiſiui? & quandiu veſtras ineptias feram qui me veſtri ſimilem facitis? Certè non haberent miſeri mortales quod hiſcerent. Et tamen hæ ſunt ſatisfactiones per quas remittuntur peccata coram Deo, ſi ſummis iſtis Theologis credimus. At nos ex Dei verbo didicimus, quod ad Deum attinet, vna Chriſti ſatisfactione niti quæ vna omnibus modis perfecta eſt & abſoluta, & nobis per fidẽ imputatur. Interea tamẽ docem⁹ neminẽ iuſtificari imputata Chriſti iuſtitia, quin ſimul eiuſdẽ Spiritu ſanctificetur: ac proinde veram ac ſeriam reſipiſcentiam neceſſariò cum fide cohærere. Ex hoc autem efficitur peccatori vere Chriſtũ per fidẽ amplexo, ac proinde per eundem reſipiſcenti, nihil eſſe

antiquius quàm, vt, ſicut iubet expreſſum Dei verbũ & charitatis regula præſcribit, omnibus ijs quos offendit, ſiue cũ aliquo priuatim, ſiue cũ toto Eccleſiæ cœtu ſit ei negotium, pro virili ſatisfaciat. Hæ ſunt igitur ſatisfactiones veteribus Canonibus expreſſæ vt hypocritæ à veræ pœnitẽtibus diſcernerẽtur, vt tol lerentur offendicula, vt denique pudore ſaltem ipſo vinceretur quorundam contumacia: non autem vt Deo ſatisfieret pro peccatis. At iſti quia nihil horum intelligunt, omnia perturbant, & tamen nõ deſinunt ſuas ſatisfactiones iactare.

De Ordinibus Papiſticis.

Ordines vocant Papiſtæ, ritus & cæremonias, partim à ſe excogitatas, partim verò à maioribus accep tas, quibus Eccleſiaſticos ſuos miniſtros conſecrant. Quod ſi etiam eis concederemus, nihil ab eis hac in parte niſi ritè & ſanctè fieri, non deſinerẽt tamen in eo ſummam ſuam inſcitiam prodere, quòd Sacramẽtorum nomen iſtis ritibus applicant. Sacramenta enim in hoc argumẽto certum eſt, non quæuis ſacrarum rerũ ſigna vocari, ſed ea quibus annexa eſt promiſſio de gratuita peccatorum remiſſione, & noſtra in Chriſto ſanctificatione, quibus denique noſtra cum Chriſto coalitio ſancitur & obſignatur: quamobrem duo tantùm Sacramenta, nempe Baptiſmum & Cœnam Domini numerauimus. Quòd ſi iſti reſpõdeãt ſe generaliùs vti Sacramẽti nomine, quæſo quid proficient? Nan ſi ita eſt, cur tandem ſeptem duntaxat Sacramenta recenſent, quum infinita & innumerabilis ſit iſtiuſmodi ſignorum in ipſorum Eccleſia multitudo? Imò ipſorum Sacrifici nonne toti ex ſacramentis erunt conflati, ſi ipſis credimus, quum nulla ſit pars hiſtrionicarum veſtium quibus ſuos moriones induunt, ſub qua non teſtentur magna & cæleſtia

cæleſtia myſteria deliteſcere? Quòd ſi rurſus excipiãt ſe delectum quempiam habuiſſe, cur, obſecro, inter ordinum Sacramenta non numerarunt ſuorum Epiſcoporum, Archiepiſcoporum, Cardinalium, ipſiſius denique omnium iſtarum creaturarum creatoris & vicarij Dei ſui ordinationem, potiùs quàm Oſtiariorum, Lectorum, Acoluthorũ, & aliorum eiuſmodi, quos ne ij quidem agnoſcunt àquibus creãtur? Sed agè ad rẽ ipſam veniamus ne de nominibus dũtaxat contendere videamur.

Omnia in domo Dei rite & ordine fieri oportere extra controuerſiam eſt. Sed huius ordinis rationem vnde tandem ſumi par eſt, niſi ex ipſo patrefamilias? Proferant igitur illi patrisfamilias mãdatum, & quum ſatis conſtet Apoſtolos fuiſſe ipſius œconomos, oſtendant ſe iſta ab Apoſtolis accepiſſe, aut Apoſtolorum ſucceſſores aliquid perfectius ac melius quàm illos conſtituere potuiſſe. Sed agè ſingula ſigillatim conſideremus.

De Clericali tonſura, quam vocant.

Clericos olim peculiariter dictos fuiſſe qui in ſingulis Eccleſijs publico ſumptu ad miniſterium alebãtur, quaſi Eccleſiarum ſeminaria, ex omnibus vetuſtis canonibus & Chriſtianorum Imperatorum Nouellis clariùs perſpicitur quam vt quiſquam inficiari poſſit. Proferant autem Papiſtæ vel tenuiſſimas eius laudatiſſimæ conſuetudinis reliquias. Qui ſunt ergo Papiſtarum Clerici? nẽpe quicunq; & quotcunq; libuit, modò vel Domino Epiſcopo vel ipſius ſuffraganeo non diſplicuerint. Quorſum autem creãtur? vt cognitioni ſecularis, quem vocant, iudicis eximantur, vel vt Eccleſiaſticum aliquod beneficium poſſint emere, quoniam habent beſtiæ characterem. Cedo verò quod examẽ præcedit? an ſint ex legitimo matrimo-

nio procreati. Quorsum id verò ? vt alioqui priuilegium emant quod *dispensam* vocant. Quid amplius? an sint digami, id est, vt interpretantur, an viduam duxerint in vxorem, aut mortua priore iterum facti sint mariti. Magnum profectò sacrilegium. Iubet Apostolus Episcopos vna vxore esse contentos, istis verò repetitum post prioris vxoris mortem connubiũ inter crimina numeratur, & quidẽ multò maiora quàm siquis simul cum viginti meretricibus vixerit Sed quę cæremonia hîc adhibetur? num preces aut manuum impositio ? Apagesis, nimiùm simplicia sunt ista. Tõdentur potiùs aliquot capilli in vertice, vt sint Nazaræi Domini : imponitur capiti linea vestis, sed mox exuitur, quoniam illis adhuc liceat ad Laicos transire. Edunt luculentam professionem sui clericatus incognito idiomate ex Psalmis, *Dominus pars hæreditatis meæ*, inquiunt, *& calicis mei, tu es qui restitues hæreditatem meam mihi*. Nempe quoniam Clerici vocantur à Clero, id est hæreditate quæ sortitò obuenit. Quid verò ? an certæ Ecclesiæ attribuuntur? minimé. Nam eorum locum occuparunt Canonici, sed iubentur horas canonicas aut saltem Psalmos pœnitentiales quotidie peregrina & barbara lingua recitare. Tandem leui impacto colapho dimittuntur, vt Ecclesiasticæ disciplinæ scilicet se addictos meminerit. En egregium Hierarchiæ Romanæ fundamentum.

De quatuor minoribus ordinibus Papisticis.

Causam alibi reddidimus, cur veteres Ecclesiæ in leuissimis etiam rebus vterentur Clericorum potiùs quàm quorumuis aliorum opera : nempe vt illorum ingenium, industria, voluntas paulatim perspiceretur. Neque verò dubito quin quũ ad hæc obeunda munera ex Presbyteri auctoritate deligerentur, admonerentur sui officij, & ea illis publicè traderentur quę

sui

sui muneris illos admonerent,quũ in domo Dei nulla sit leuis aut negligenda vocatio. Ostiarijs igitur tradebantur templi claues.Lectoribus,Bibliorum liber.Exorcistis,certæ adiurationum formulæ. Acoluthis,cerei,vnde etiam Ceroferarij à nonnullis vetustis scriptoribus vocantur, nisi fortè inter istos quoque nonnullum fuit discrimen.Fuit autem cereorum & lãpadum aliquis vsus ad nocturnas vigilias,matutinas & vespertinas preces ac conciones,quæ res postea in Iudaicam & Paganicam superstitionem transijt.At nostræ simiæ Papisticæ,totidem hîc nobis sacramenta fabricant, & istas cæremonias in quibus toti sunt,non modò mordicus retinuerunt,sed etiam suis speciosis commentis pro virili exornarunt. Sed vt cætera omittam,quæ hæc dementia est, Ostiarios creare quibus nullum templum committatur claudẽdum vel aperiendum? Lectores, quibus nullus legẽdus liber,nulla Ecclesia,nulla lectio tribuatur? Exorcistas denique vllos constituere, sublato ex Ecclesia miraculorum dono? Acoluthos,id est Episcopi pedissequos designare,qui nec Episcopum norunt, nec cum Episcopo quicquam prorsus negotij sint vnquã habituri? Cur igitur ista retinent? dixerit aliquis: Nempe quoniam vetustis Canonibus cautum est vt in istis gradibus probati ad Ecclesiastica munera prouehantur, idcirco religiosi homines nolunt quicquam istarum sacrarum cæremoniarum prætermittere.Sed compendium inuenerunt quod veteribus nunquam venerat in mentem.Sunt enim tam diligẽtes vt vno & altero die omnia ista munera simul obeant,vt mox digni inueniantur quibus maxima quęque committantur.

De maioribus ordinibus Papisticis.

In maioribus autem Ordinibus quos vocant,id

est Subdiaconatu,Diaconatu,& Presbyteratu,maior tum impudentia tũ inscitia vel ipsis cæcis,vt opinor, liquidò potest demõstrari. Nam pro eo quòd in vetere Ecclesia & Presbyteri & Pastores & Diaconi, ritè electi, & totius Ecclesiæ suffragijs post diligentẽ doctrinæ & morum inquisitionem comprobati, publicè per impositionem manuum Deo consecrabantur,cui Papistæ non monstrosum videbitur si quis affirmet electionem publicam & legitimam oportere consecrationi præire? Neque verò id mirũ videri debet, quum sola & nuda illa nomina rebus ipsis penitus sublatis,apud eos manserint,vt nimirum supereſſet vnde possent tantò faciliùs redargui. Sed agè illud etiam propius considerabimus, quomodo simplicissima illa cæremonia manuum impositionis, cuius testis est Lucas & Paulus, paulatí sit ab istis adulterata.

Oleo tanquam symbolo quodam vsos fuisse Apostolos initiò quum ægrotos non vt medici, sed vt Apostoli dono sanationum prædíti, sanarent, testis est Marcus. Apostolorum autem consuetudinem alios secutos fuisse qui eodẽ dono prædíti erant, Iacobus declarat. Hinc verò quot superstitiones inuexerit in Ecclesiam Satanas,occasionem ex pastorum ignauia nactus, res ipsa patefacit. Primùm enim quibusdam fuit religio aliquid omittere quod priores illi fecissent: alios verò superbia ad eundem scopulum impulit,ne illis inferiores viderentur. Itaque post sublatũ illud sanationis donum,symbolũ tamen remansit. Hoc autem aditu patefacto,quid non molitus est aut potiùs quid non perfecit Satan? Quid enim? an istud oleum non oportuit à vulgato & profano oleo distingui? Inuenta igitur consecratio,& quidem eiusmodi vt penè ipsum Diabolũ possit eius pudere. Nã infinitis adhibitis plusquam Magicis cæremonijs, oleũ

Mar.6.b. 13.

Iac.5.c.14.

oleum ipſum millies adoratur, & precari non pudet diſertis verbis, vt in illam pinguedinem Spiritus ſanctus emittatur. Deide puduit Chriſtianæ ſcilicet Eccleſiæ miniſtros ſine vnctione conſecrari, quum à Chriſto denominentur, & turpe ſit minus ſolenniter ipſos inaugurari quã olim Aaronis ſucceſſores & Reges ac Prophetæ ſolerent. Itaque inuentũ etiã alterum oleum quod Chriſmatũ, & tertium aliud quod Sanctum vocant: neque apud eos vllũ ſacrũ myſteriũ abſque magico iſto oleo peragitur. Ita denique factũ vt pro paſtoribus haberet Eccleſia vnguentarios & pigmentarios, qui hoc prætextu miſeras ouiculas nõ tantùm vngerent, ſed etiam emungerent. Sed age ex hac tandem ſordium officina emergamus.

Diaconorũ, quibus poſtea adiuncti ſunt Subdiaconi, munus erat, vt ſuo loco expoſuimus, menſarũ miniſterio vacare in communibus videlicet conuiuijs quæ Cœnam Domini præcedebant: & oblationes totumq; ærarium Eccleſiaſticum ex Presbyterij auctoritate adminiſtrare. Itaque quum delegebantur & impoſitione manuum conſecrabantur, tradebantur eis nimirum quæ ad eorum munus pertinebant, nẽpe vrceoli, mantilia, calices, & alia eiuſmodi. Iam verò quum pridem ſublata ſint illa conuiuia, quũ nullum prorſus ærarium tractent Diaconi, quũ tota Liturgia in execrandam Miſſæ ſaltationem ſit commutata, quorſum Diaconi, vel Subdiaconi in Papatu? Operæpretium eſt autem audire aliquam ſaltem earũ cæremoniarum partem quas iſti Sacramenta vocãt. Diaconis imponitur ſtola quã appellant barbaro & incognito nomine, idq; ad latus ſiniſtrũ: traditur deinde liber poſtillarum, vt lectoris officium cum Diaconatu confundatur. Tandem D. Suffraganeus vt videatur aliquid retinuiſſe ex Apoſtolico ritu ma-

Vide Canones Car. Concilij quarti.

nus imponit, & Magicum neſcio quod carmen ſuſurrat. Subdiaconi verò calicem & patenam (quam vocant) ex Epiſcopi vel Suffraganei manibus, ab Archidiacono verò vrceolos cum aqua accipiunt. Sed præterquam quòd omnia iſta nulla præeunte electione, non in publico cœtu, ſed ædibus Epiſcopi priuatis, peregrino idiomate, admixta paſſim inſana Idololatria peraguntur, quis iſte furor eſt rebus ipſis penitus ex hominum memoria ſublatis, non modò ſigna illarum retinere, ſed etiam pietatis ſummam in eis collocare?

Quod autem ad Presbyteros attinet, quid vnquã inter homines extitit cum tanta inſcitia, impudentia, impietate coniunctum? Nam illud conſtat, ſi Papiſtas roges quid ſit Presbyterum eſſe, vix ex centum millibus vel vnum aliter reſponſurum quàm Presbyteros illos eſſe quibus fas ſit Miſſam canere. Viderint autem ipſi quomodo cantus iſte priuatis Miſſis conueniat, quarum tamen cauſa certum eſt infinita illa pſeudopresbyterorum agmina quotidie emergere. Cæterùm quid eſt Miſſam canere? nempe Chriſtum offerre pro viuis & pro mortuis. Cedò verò ad hoc ſcelus quo nullũ tetrius Sol vnquam aſpexit aut deinceps aſpiciet, quibus tandem Sacramentis inauguratur? raſo capite, & vnctis digitis, nempe vt nec pilũ boni viri, nec puras manus habeant. Et hæc monſtra diutius vel ipſe Satan tolerabit?

De Matrimonio.

Quantum tribuamus legitimo Matrimonio & quo pacto ſoleat in Eccleſijs noſtris promulgari, & adhibitis precibus publicè ex laudabili Eccleſiæ conſuetudine confirmari: quantopere damnetur à nobis non tantùm adulteriũ, ſed etiam quoduis ſcortationis genus, liquidò conſtare poteſt, Dei beneficio, &

ex

ex nostris scriptis & ex nostrorum Magistratuum edictis, & ex ipsa matrimoniorum formula quæ typis excusa prostat in librariorum officinis. Nimiùm est igitur desperata eorum impudentia, qui nos etiam audent vt scortationum fautores traducere, & veteres illas λυχνομοιχίας nobis exprobrare, id est rancidas illas calumnias refricare, quas ipsa saltem vetustate oportuerat obliterari. Quasi verò si nobis scortatio probaretur, deserendus fuerit Papatus, in quo flagitium illud ne inter leuissima quidem vitia numerari quis tandem ignorat?

Sed ad rem. Matrimonium Papistæ quoties libuit inter Sacramenta numerant, sed quo prætexu? Nempe quoniam vetus Pauli interpres μυστήριον conuertit Sacramentum in Epistola ad Ephesios [a], vbi agitur de coniugio. Sed quæ hæc insciția est, non potiùs ipsum Paulum loquentem audire quàm Latinũ illum interpretẽ? Nam certè nemo ignorat μυστήριον Græcis non minus latè patere quàm Arcanũ Latinis. Fateantur igitur isti omnia arcana esse Sacramẽta, si cũiugium est Sacramentum. Et ne videamur illis iniuriam facere, ecce eundẽ interpretem ipsis iudicem ferimus. Sic igitur voluntas Dei Sacramentum octauũ: & vocationem Gentium numeremus pro nono Sacramento. Sic enim interpres in eadem epistola idẽ vocabulum Græcum est interpretatus [a]. Imò nonne Paulus ipse huic errori expressè medetur, quũ testatur eo ipso in loco se vti mysterij nomine, ad designandam Christi & Ecclesiæ, non autẽ mariti & vxoris coniunctionem? pudeat igitur tandem istos asinos rudere inter homines rationis compotes. Quòd si etiam illis largiremur quod petunt, quo tandem iure, obsecro, comprobabũt perpetuũ votũ quo sese quispiam priuauit Ecclesiastici Sacramenti beneficio? &

[a] *Eph.* 5. 32.

[a] *Eph.* 1. *b.* 9. *&* 3. *a.* 3.

quo iure docent non licere simul Ecclesiastico ministerio fungi,& cõiugio,id est,vno ex Ecclesiæ Sacramentis frui?Imò,vt tandẽ desinã velle Æthiopas lauare,quomodo cõciliabunt hæc duo:Matrimonium esse vnũ ex septem Sacramentis,&,quod ait impurissimus eorũ Papa Siricius [b],intelligendũ esse de coniugio quod scribit Paulus,eos qui in carne sunt Deo placere nõ posse? Nam alterũ esse falsum necesse est, aut illos concedere ex sui Papæ sentẽtia,Sacramenta aliquã non modò non conferre gratiã, sed etiam efficere vt Deo simus exosi. Hunc igitur nodum illis expediendum relinquo. Quod autem ad illorũ benedictiones attinet,quibus & sponsos, & annulũ,& lectũ casti isti pontifices cõsecrant,eas nunc malo non attingere,quàm his sordibus chartam inficere.

[b] Vide decreta Siricij Papæ c. 7.tomo Cõciliorum primo.

De extrema vnctione.

Si tenetur Minister valentes ouiculas pascere,multò certè magis illi laborandum est de illarum salute quoties vel corporis vel animi morbo corripiuntur: nec pastoris nomine dignus est qui hanc muneris sui partem negligenter curat. Remedium autem quod à pastoribus affertur, vnicum est, nempe verbum Dei ad vsum ægroti accommodatũ. Alijs enim doctrina, alijs exhortatione,alijs cõsolatione, alijs denique redargutione & increpatione opus est. Et hæc omnia consequuntur preces quas minimè irritas esse testatur Iacobus [a]. Facit is quoque olei mentionem, sed ad sanandum ægrotum adhibiti, quo tempore mirarum vigebat sanationm donum quod temporariũ in Ecclesia fuisse antea ostendimus,& tacentibus etiam nobis,res ipsa clamat. At miseri Papistæ quoniã cęremoniarum laruis mirum in modum delectantur,re ipsa sublata, non contenti fuerunt signum quanuis inane & vanum ac iam prorsus superstitiosum retinere,

[a] *Iac.5.e.14. 15.*

nere, sed etiam oleum sibi magicis carminibus incãtandum putarunt, quod nimirum possit ex ipso opere, vt loquuntur, operato, peccata eluere, vt alias impijssimas istius vnctionis ineptias omittam. Sed bene habet quod istæ simiæ saltẽ sese in eo bestias produnt, quòd non alijs quàm moribundis illud ipsum oleum applicant, quod Apostoli tum demum adhibebant quum aliquem essent valetudini restituturi. Erat igitur Apostolis oleum istud, vitæ symbolum, quod isti præclari Apostolorum imitatores, extremam, id est mortis vnctionem vocant. Quòd si etiam libet egregio illi scriptori Dionysio credere, vnctio illa per id tempus non moribundis, sed mortuorum cadaueribus adhibebatur. Quid igitur? nempe mortui isti sepeliant mortuos suos. Nos autem in vno vitæ verbo acquiescamus.

XII. Nullum esse verbi ministerium legitimum in Papistica Synagoga.

Satis, vt opinor, apparet ex ijs quæ diximus, & verbum Domini, & preces, & Sacramenta indignissimis modis pollui ac perdi in Papistica Synagoga, quę Catholicæ Ecclesiæ nomen sibi falsò vendicat. Sed quoniã solent illi nobis obijcere se successores esse Apostolorũ ac proinde Ecclesiam apud se habere, superest vt videamus quæ sit cõuenientia inter Papisticã Hierarchiã de qua tantopere gloriantur, & Ecclesiasticã gubernationẽ ex verbo Dei per Apostolos constitutam, & à veris eorũ successoribus diligenter custoditã, tantisper dum iusto Dei iudicio horrenda confusio & Orientem & Occidentem inuaderet.

Primùm igitur dico istos in hoc argumento fundamentũ ponere minimè firmum. Putant enim veritatem Dei certæ gẽti & sedi, videlicet Romanę, certisq; adeò personis alligatam, cui falsissimo dogma-

ti non tantùm vniuersa scriptura, sed ipsa quoque experientia stultorum magistra, apertissimè repugnat. Nam quod attinet ad Dei verbum, vbi tandē reperietur tale quippiam vlli penitus vel vrbi vel gēti nedū Romæ concessum? Nam certè quæ de terrestri Hierusalem dicuntur, temporaria fuerunt: & Hierusalem spiritualem per totum orbem terrarum diffundendā adumbrarūt, vt norunt omnes qui vel à limine Theologiam salutarunt. Iam verò quum duo sint ex quibus intelligi perspicuè potest vbi sit Dei regnum, nempe pura doctrina & integri mores, vtro istorum sese ornabit Romana meretrix? Nam doctrinam illic esse impurissimam per singulas eius partes demonstrauimus. Sin autem de moribus quæritur, agè cum ea ipsa Romanorum Pontificum historia quam cōscripserunt pontificum Gnatones conferantur quæcunque hominum monstra à condito mundo vnquā extiterunt, & comperietur in hac vna sede plus licuisse Satanæ quàm in vlla vnquā Tyrannide qua orbē terrarum oppresserit. Deinde quid illos iuuat iactare se in locum veterum Episcoporū successisse, nisi per idem ostiū sint ingressi? Neque enim eos qui per fenestram, aut dirutis etiā domus Dei mœnibus ingressi, miseras ouiculas vorant, Filius Dei pro pastoribus habet, sed latrones & lupos appellat [a], & eos cauere iubet [b]. Imò Paulus eò vsque progreditur vt Anathema pronuntiet in ipsos etiam Angelos, si aliud Euangeliū annuntiauerit [c]. Et te non pudebit Romana meretrix cum tuis Cynædis successionem Apostolicam iactare, quum ne ipsos quidem Angelos Paulus pro successoribus agnoscat, sed vt Dei hostes execretur, & omnibus execrabiles esse velit, si id ipsum faciant quo vno niteris? Denique ne falli possemus, in templo Dei sessurū idem Apostolus testatur filium

a *Ioh.* 10. *a.* 1 2.

b *Mar.* 12. *b.* 38, 1. *Tim.* 6. *a.* 3. 4. 5.

c *Gal.* 1. *b.* 8.

filium perditionis qui seſe pro Deo venditet[a]. Et Iohãnes apertè ſupra ſepticolem vrbem dicit ſeſſuram beſtiam[b] quæ blaſphemiæ nomina habet fronti inſculpta[c]. Sed quódnam illud nomen eſt? Reſpondeat ipſe ſanctiſſimus Papa Gregorius[d], clamitans Epiſcopi vniuerſalis, id eſt, capitis Eccleſiæ nomen nemini (ſi Chriſtum vnum excipias) præterquam Antichriſto conuenire. At enim iſte ſeſe è contrario ſeruum ſeruorum vocat. Egregiam certè fraudẽ: quaſi verò nos vocabula non rem ipſam ſpectemus. Percuſſit nummos Iulius tertius Romanus pontifex cum hac inſcriptione, GENS QVAE NON SERVIERIT TIBI, PERIBIT. Et hũc omniũ Tyrannorum impudentiſſimum non pudebit tandem ſeſe ſeruum ſeruorum vocando, toti mundo illudere? Et hæc quidem de ipſo Antichriſtianæ Eccleſiæ capite. Quod autem ad ipſius creaturas attinet, hoc ego dico, hoc vociferor, omnes illas prouiſiones, præſentationes, collationes, ſignaturas, bullas, mandata, præuentiones, datas, conſenſus, permutationes, concordata, reſignationes, deuoluta, penſiones, annatas vacantes, proceſſus fulminatos, diſpenſas, totidem eſſe feneſtras, per quas vi perrumpunt in ouile Domini, & totidem cuniculos quibus domum Dei quantum in ſe fuit, ſubruerunt, quum neque in verbo Dei, neque in vllo purioris Eccleſiæ ſcripto vel Græco vel Latino vel tenuiſſima fiat iſtarum rerum mẽtio, quas vnus Satã euomuit vt Eccleſiæ puritatem inficeret: ideoque non de iſtiuſmodi rerum reformatione, ſed eiectione, abolitione, & vltima internecione ſeriò omnibus pijs hominibus eſſe cogitandum.

Tertiò, quî poſſunt iſti meritò dici Apoſtolorum ſucceſſores, quum præcipui gradus Papiſticæ hierar-

a 2. *The.* 2. *b.* 4.

b *Apo.* 17. *c.* 9

c *Apo.* 13. *a.* 1

d Gregorius paſſim in epiſtolis.

chiæ & Apoſtolis & omnibus Eccleſijs per tot ſæcu la penitus fuerint incogniti, & in ijs gradibus quos ex verbo Dei & vetere Eccleſia videntur deſumpſiſſe, ſola nomina retinuerint, quorum obtentu fœdiſſima & teterrima quæque monſtra tegerent? Numero autem in prima claſſe, Papam vniuerſalem, (nã olim Papæ nomen omnibus Epiſcopis erat commune) Cardinales, Suffraganeos, Officiales, Procuratores curiæ Eccleſiaſticæ, Vicarios, Capellanos, Præfectos, Priores, cum tota eiuſmodi monſtrorum colluuie, quæ penitus ignorauit vetus Eccleſia. In ſecunda verò claſſe recenſeo Archiepiſcopos, Curatos Canonicos, Presbyteros, Archidiaconos, Diaconos, Subdiaconos, Clericos, & totam iſtam cateruam, quorum nominibus iſti tam impudenter abutuntur, vt certum ſit non magis contrariam eſſe lucé tenebris, quam iſti ſunt ijs repugnantes quorum nomina mutuantur.

Primum omnium igitur quod ad lepidum iſtud Romanæ Synagogæ caput attinet, quibus, obſecro, ſucceſſit? Petro & Paulo, inquit. Sanè verò. Nam antę natum Romanum pontificẽ, biceps erat ſcilicet Eccleſia Chriſtiana, quum vel ipſorum confeſſione Paulus nõ fuerit Petro minor, vel iniuria inſigni afficiatur Petrus, cùm ei pro collega adiungitur Paulus à Romano pontifice. Duo igitur illa capita ſupereſt vt dicamus in vnum fuiſſe Romæ conflata. Sed quid ſi probẽ hoc vnum caput rurſus in duo fuiſſe aliquãdo diuiſum ex ipſius Romanæ ſedis conſenſu? Nam ſi creditur hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, Romæ vno & eodem tempore ſederunt Liberius & Felix, vt de Antipapis taceam. Vbi tum igitur vnicum illud caput? vbi ſucceſſionis curſus perpetuus? Sed ne ludere videamur in re ſeria, an poſſunt iſti inficiari Eugubinũ Epiſco-

Nice. Eccl. hiſt. li. 9. c. 37.

Episcopum, id est, minimæ cuiusuis sedis pastorẽ æquari Romano episcopo ex ipsius Hieronymi verbis, & eundẽ affirmare nullũ olim fuisse inter Presbyterum & Episcopum discrimẽ? an possunt ignorare inter Metropolitanos numerari Romanum Episcopũ, & suam ei ditionem sicut & alijs circunscribi? Esto verò, numeretur propter vrbis Romanæ dignitatem Romanus Episcopus omnium primus, & ei tribuantur τὰ πρωτεῖα in Synodis vniuersalibus, an propterea dicemus vllam in alienæ ditionis Ecclesias auctoritatem fuisse illi attributam? Quum Irenæus victorẽ & Cyprianus vnà cũ Episcopis Aphricanis Cornelium, Romanos Episcopos acriter reprehenderunt, an aliter eos appellant quàm fratres & coepiscopos? Vbi tum sacratissima illa sanctitas? vbi sanctissimus Dominus noster? vbi pallij venditio? Imo Gregorius quem isti inter suos sanctos adorant, an alio quàm Domini sui nomine Imperatorem appellat? an non testatur se ex ipsius voluntate Episcopũ? Tum enim & multis post sæculis Pontifices Romanos populi suffragijs electos confirmabat Imperatoria Maiestas, nedum vt illis ius vllum in regna & imperia huius sæculi concederetur, quum ne vrbis quidem domini essent. Vbi tum igitur erant egregiæ Pseudoclemẽtis & Pseudanacleti epistolæ? Vbi fabula de donatione Constantini? Vbi satellites, tiara, crepidæ, pileus, cathedra, exercitus, bõbardæ sanctissimi domini nostri Papæ? Synodos autem illas œcumenicas quas quoties ipsis libuit cum quatuor Euangelijs per ludibrium cõparant, quis Papa cõuocauit? nonne vnus Imperator? imò quis alius ipsos Romanos Episcopos eò iussit cõuenire? cui se excusat Leo primus, & à quo precatur vt sibi per suos vicarios liceat Synodo interesse? & tamẽ Leonẽ cõstat ex ipsius Epistolis

iam tum Romanæ ſedis antichriſtianæ arrogantiam planè ſpiraſſe. Dicam etiam aliquid amplius, quod iſti iampridem diſſimulant ſe intelligere. Temporibus Conſtantini in cauſa Cæciliani, quam ſæpe inculcat Auguſtinus aduerſus Donatiſtas, Epiſcopus Romanus delegatur iudex cum alijs aliquot Epiſcopis. O facinus horrendum! Delegari s. D. N. ab Imperatore? hoccine pati ſedem Apoſtolicam? Ita eſt tamen. Neque murmurat Epiſcopus Romanus, nec proteſtatur de ſuæ ſedis primatu. Nondum enim erat hoc ius cognitum in orbe terrarum. Quid amplius? prouocatur à iudicum delegatorum cognitione, & Epiſcopus Arelatenſis iterũ delegatur qui de prouocatione iudicet. Deus bone, quid mõſtri audimus? dicent iſti optimi & ſanctiſſimi defenſores primatus Petri. Sed quid facias? Ita res eſt tranſacta, boni viri ab Imperatore Chriſtiano, nemine contradicente, nemine tumultuante vel propterea quiritante actum eſſe de Chriſtiana Eccleſia. Quid verò, quum Leo multa arroganter effutiret de ſuæ ſedis præſtantia apud Calcedonenſe concilium, an non eſt acriter cohibitus? Et in Synodo Mileuitana cui interfuit Auguſtinus, an non diſertè interdicitur prouocatio trãs mare: & tres pontifices Romani, Zozimus, Bonifaciũs, Cæleſtinus, vt falſarij redarguuntur? Imò poſtquam Concilium Aphricanum ad Cæleſtinum Papam Romanum ſcribens multis de cauſis oſtendit intollerabilem eſſe arrogantiam Epiſcopi Romani in Aphricanas Eccleſias iuriſdictionem vſurpantis, hoc etiam addit: *Vt*, inquit, *aliqui tanquam à tuæ ſanctitatis latere mittantur, nulla inuenimus Patrũ Synodo conſtitutum*. Et mox, *Executores etiam clericos veſtros quibuſque petentibus nolite mittere, nolite concedere, ne fumoſum typhum ſeculi in Eccleſiam Chriſti,*

Act. 16. Syno. Chalce.

Extat hæc epi. non tãtũ Græcè, ſed etiam Latinè ad calcem Cõcilij Aphr. tom. Cõci. primo.

quæ

quæ lucem ſimplicitatis & humilitatis diem Deum videre cupientibus præfert, videamur inducere. Hæc illi, quorum vnus erat Auguſtinus. Et tamen qua de re agebatur? de hoc vno duntaxat vt Apiarius quidã presbyter quem damnarant Aphricani, auctoritate ſedis Romanæ fretus, iterũ reciperetur. Quæ omnia quum ita ſe habeant, quam tandem iuſti tituli ſpeciem Tyrannus iſte prætexet, & quo iure ſibi tanquam Petri & Pauli ſucceſſori idipſum vindicabit, à quo vſurpando tantum illi abfuerunt, vt è contrario venturam iſtam Tyrannidem & prædixerint & expreſſè damnarint? Recurret igitur iſte nimirum ad Imperatorem Phocam impuriſſimum illud & teterrimum monſtrum, & dignum planè ſtabiliendæ Papiſticæ Tyrannidis auctorem: à quo videlicet Bonifacius quartus circiter annum Domini 607, Epiſcopi vniuerſalis & capitis Eccleſiæ nomen redemit. Proferet præterea quod Zacharias & Stephanus ſecundus ſuis proditionibus circiter annum Domini 752, ſunt conſecuti. Nam mentitas Epiſtolas multorũ, & falſos canones ab ipſis Papis Romanis partim cõfictos, partim in ſuum ipſorum emolumentum Tyrannicè conſtitutos, quis ſani iudicij homo vel refutatione dignos cenſuerit, quũ & verbum Dei expreſſum, & totius veteris Eccleſiæ purioris auctoritas repugnet? ſed de iſto Antichriſto hactenus.

Iam verò ad CARDINALES progrediamur, & hanc quoque camarinam, quando ita neceſſe eſt, moueamus. Iſti igitur quorum tandem ſeſe ſucceſſores iactabunt? Nempe LXXII. diſcipulorum. Atqui mirum eſt miſerabile quòd nemo purioris Eccleſiæ ſcriptor Cardinalium magis meminit quàm eorũ qui nuſquam eſſent in rerum natura: Edita quidem eſt Synodi Romanæ fabula ſub Sylueſtre, tempori-

bus videlicet Constantini magni. Verum quid eos res ista iuuat, quum septem duntaxat Cardinales ibi constituantur,& mœnibus vrbis Romanæ includantur?quod si qua tum erat vel minima ipsorum auctoritas in Ecclesia,quî fit vt tot postea sæculis ne tenuissima quidem fiat eorum mẽtio? Illud ergo constare potest,non fuisse tum adhibitos Cardinales ad verbi ministerium, aut Ecclesiasticæ iurisdictionis tuendæ munus,sed duntaxat Diaconos fuisse qui(sicut olim Romæ singulis regionibus præerant sui custodes)per vrbis Cardines distributi,suo,id est, Diaconorũ munere fungerentur, quod quidem cuiusmodi esset suo loco exposuimus. Sed postea crescẽte Episcopi Romani potentia,creuit nimirũ totius collegij dignitas, vt videlicet prædones isti inter se Ecclesiam Christi diuiderent. Sic ergo Cardinalium etiam nomen factum est augustius, & cum Episcopis & Presbyteris fuit communicatum,quibus nimirum verus Presbyterorum & Diaconorum nomen sordebat.Et vt sordida hæc origo posteros lateret, inuentum fuit nouũ huius appellationis etymon, quasi videlicet Ecclesiæ sint cardines.Verùm bene habet quòd partim veteres titulos ab his vel illis templis denominatos retinuerũt,partim nouos excogitarunt, ex quibus intelligatur quod celatum volunt. Hæc sunt igitur Cardinalatus primordia. Sed tamen multis postea seculis res erat monstro similis Cardinalem simul esse & Episcopum:quoniam Cardinales oportebat Romæ permanere, & suo munere, putà Diaconatus vel Presbyteratus defungi:& Episcopis non licebat ex verbo Dei & veteribus canonibus vel à gregibus diutius abesse, vel oues suas non pascere. At nostri nunc non Cardinales, sed Carnales, cuiusmodi tandem sunt beluæ?Hi sunt per quos impurissimum illud scortũ Regum

gum & principum & potentissimarum quarumuis ciuitatũ animos pro arbitrio suo versat, adeò vt quoties ei libuit suos riuales modò inter se cõmittat, modò rursus cõiungat, modò suis lepidis munusculis deliniat, modò minis perterreat, & suæ inexplebilis tum auaritiæ tum crudelitatis admininistros esse cogat. Isti verò lenocinij sui mercedẽ hanc auferunt, quòd pinguissimis quibusq; Episcopatibus & Abbatijs delibuti vnà cum suo creatore in stagnum ignis & sulphuris præcipites abeunt. Quod enim est tantũ scelus, quod tam immane flagitium est, quo istorũ Cynædorum & Hermaphroditorum collegium non sit vniuerso mundo iam olim execrabile? adeò quidem vt quemadmodum olim ad pileum vocari dicebantur serui qui liberi fiebãt, ita suos istos Cynædos Papa meritò pileo donet, suæ videlicet infinitæ licentiæ & verè carnalis libertatis pignore ac symbolo. En discipulorum Christi successores, & Ecclesiæ catholicæ cardines quorum vel ipsos profectò diabolos pudet. Quod autem attinet ad suffraganeos, officiales, procuratores Ecclesiastici fori, notarios Apostolicos, promotores, auditores rotæ, bullistas, copistas, cursores, datorios, vicarios, capellanos, priores, & infinitã eiusmodi colluuiem, tam facilè profectò fuerit diabolos in cælis reperire Angelorum thronis insidentes, quàm vllam vel tenuissimam istorum mentionẽ, aut in verbo Dei, aut in antiquis Synodis, aut in vllo puro scriptore vel Græco vel Latino. Imò qui velit ista conciliare cum Ecclesiæ Christianæ moribus, perinde faciat ac si vellit lucem cum tenebris & veritatem cum mendacio componere. Nunc autem accedo ad illos qui videntur speciẽ aliquam habere Apostolicæ successionis, si nomina, non autem rem ipsam, spectes. Ostendimus constitutos esse in Ecclesijs

Pastores ac Doctores qui sermonem Dei annuntiét, & administrent Sacramenta. Ita enim iussit Dominus, & certum est veterem Ecclesiam hoc diligenter obseruasse. Nam quod Pastores temporis progressu distincti sunt in Metropolitas, Episcopos, & quos nunc vocant Curatos, id est singulis parœcijs præfectos, id minimè factùm est respectu ministerij verbi, sed potiùs habita Ecclesiasticæ iurisdictionis ac disciplinæ ratione. Itaque quod attinet ad verbi prædicandi munus, & Sacramentorum administrationem, nullum est inter Archiepiscopos, Episcopos, & Curatos discrimen. Omnes enim tenentur suos greges eodem cibo pascere. ideoque communi nomine, Pastores & Episcopi in Scripturis passim vocantur. Quæ verò istorum impudentia est sacra nomina vsurpare, & propterea Apostolorum & verorum Episcoporum successionem iactare? Nam, obsecro, si porcum vel simiã velim regis habitu induere, & regem vocare, an propterea Rex dicetur, & verorum regum successor? Apagesis, inquies, an isti sunt canes & porci? Sanè sunt, verbo Dei credimus qui pseudoprophetas & veritatis osores nõ alijs nominibus vocat, & monet vt totis viribus eos fugiamus: nec sunt isti de quibus agimus, veris pastoribus similiores, quàm veris regibus canes & porci similes essent, si coronam & sceptrum gestarent. Primùm enim quis istos creauit Episcopos & Pastores? per quod ostiũ sunt ingressi? quis eos vocauit? vbi examen doctrinæ & morum? vbi electio Presbyterij? vbi populi suffragia? an verò vnus ex centum inuenietur qui verbum Dei vel à limine salutarit? qui ad pascendum gregem sit accommodatus? qui denique gregem vel tantillum curet? è contrario vero siquis est qui interdum conciunculam habeat, quam tandé

doctrinam

doctrinam proponit? an non toxicum pro cibo miseris ouibus præbet? an non oues deglubit? Sacramenta verò quomodo tandem administrarent, qui ad illa polluenda cõiurarunt? Synodi prouinciales vbi, quomodo, à quibus cõuocantur? quotus quisque ex Episcopis aptus est ad res istas curandas? quotus quisque Curatus quid hoc rei sit intelligit? Denique vt paucis absoluam, duo ex illis quæro. Vnum, an qui excõmunicatus est, debeat pro Ecclesiæ membro, nedum pro pastore censeri. Alterum, an non sint satis ipso iure excõmunicati quos Christus iubet, vt fures, vt latrones, vt porcos, vt canes fugere, quiq; contra expressam dispositionem verbi Dei, & totius veteris Ecclesiæ auctoritatem inuaserunt in Dei ouile, & suam tyrannidem sola vi aperta defendunt. Vt autem omnes intelligant an isti sint eiusmodi, qui tamẽ plenis buccis iactant Apostolicam successionem, consulatur in primis Dei verbum, deinde, vt ex infinitis testimoniis pauca commemorem, inspiciatur epist. 3. & 4. primi libri epistolarum Cypriani, & tertius eiusdem tractatus, De simplicitate Prælatorum. Item, Leonis primi epistola 85. Niceni Concilij Canon. 4. & 6. Antiocheni, 23. & 25. Sardicensis, 14. & 15. Item, ca. cleri plebisque. distinct. 23. & 8. q. 1. c. plerique; sacerdotes, & 7. q. 1. sicut vir, paragra. Episcopum verò & 9. q. 3. c. Archiepiscopus nihil. ibi enim & alijs innumerabilibus locis inuenietur quàm verè isti sese Archiepiscopos, Episcopos, Curatos vocent, & cuiusmodi sit ipsorum Hierarchia.

XIII. In Synagoga Papistica nullam esse Diaconiam.

Et hæc quidem dicta sunto de ijs quos oportuerat sermonis prædicationi & administrationi Sacramẽtorum totos incumbere. Nunc ad eos progredia-

mur à quibus oportuit ærariũ Eccleſiæ adminiſtrari. Diaconos,Subdiaconos, Archidiaconos habẽt quidem Papiſtæ, ſed nomine tenus . Nam quid iſta ſibi velint non magis tenent quam Indicas vel Arabicas literas.Nã Archidiaconos creat pontifex Romanus, quoniam aliquid illic prædæ ſubeſt.Verum quid Archidiaconis opus eſt vbi nullus eſt Diaconus ? Sed tamen in Archidiaconorum viſitatione fateor apparere veteris moris veſtigia,ex quibus deprehendi poſſit quod iſtos coarguat. Solẽt enim iſti parœcias certis anni temporibus diſcurrere,quæ res oſtendit Archidiaconos olim non fuiſſe inanes laruas, ſicuti nũc ſunt , ſed in ſuæ regionis Diaconos diligenter inquiſiuiſſe : idq; magis etiam liquet ex inquiſitionis forma quam iſti imprudentes obſeruant . Neque enim ſolent in doctrinam vel mores inquirere , ſed an ſint ſarta tecta templorum ædificia,an ſacroſanctum cruſtulum commodè repoſitum,an ſatis mundi calices, & alia id genus . Hic verò licet quaſi in ſpeculo intueri quantopere ſint immutati veteris Eccleſiæ mores.Quod enim iſti in Curatos inquirunt,præter officium faciunt,quum ea res ad Epiſcopũ pertineat.Erat autẽ nimirum Diaconorum officium quum iam conſtituta eſſent templa Chriſtianorum cœtibus habẽdis , procurare ex publico vt ſarta tecta ædificia conſeruarentur. Itaque Archidiaconis hoc onus incumbebat,vt acceptas à Diaconis eorum ſumptuum rationes ad Presbyterium referrent.Hinc illa inquiſitio quã diximus à Papiſticis obſeruari, ſed Deus bone,quã peruersè,quum eorũ templa ad quiduis aliud potiùs quàm ad Dei verbum audiendum ſint accõmodata? Neque ipſi etiam hoc exigunt à Diaconis qui nuſquam ſunt,ſed à Curatis, qui nimirum relicto ſuo munere ad Diaconatum redierunt , vt ſeſe potiùs

ùs quàm gregem paſcerent. Sed & illud conſtat, quũ Diaconos oporteret menſis inſeruire, penes eos etiam depoſita fuiſſe vaſa quæ illi miniſterio fuerant conſecrata. Verùm quid hoc attinet ad execrandi illius cruſtacei idoli armarium & impuriſſimos calices ſolis iſtis Cynædis & ſcortatoribus, ſolis, inquã, iſtis Filij Dei mactatoribus cõſecratos? Sed hæc ipſa quoque quàm diligenter curent Archidiaconi, vel ex cõmuni prouerbio intelligi poteſt, quo Archidiaconorum prandia, non aliter quàm veterum pontificum Cœnæ celebrantur.

At miſeris Diaconis & Subdiaconis nihil præter inaniſſimum nomẽ relictum eſt. Quorſum enim Diaconi & Subdiaconi? vt in altis, quas vocant, miſſis, id eſt ludis Megalenſibus, hiſtrionico habitu miniſtrent menſæ ex qua ſolus ſacrificus veſcitur: id eſt vt Ieſu Chriſti repetẽdæ oblationi & ſacrificio ſeruiant: vt fruſtulum aliquod Euangelij & Epiſtolarum Pauli peregrino idiomate, & abſque vllo interprete, cãtillent: vt calicem, vrceolos, mantile ſacrifico præbeant: vt oblationem recipiãt cuius ne minima quidem particula pauperibus deciditur: vt denique canant ITE MISSA EST. Cedò verò, in quo tẽplo? in quocunque viſum fuerit, & tantiſper dum ad maiores ordines promoueantur. Quoniam enim edictũ fuit veteribus Canonibus, vt nulli ad Presbyterium vocarentur niſi qui in inferioribus functionibus Eccleſiaſticis diligentiam & integritatem ſuam approbaſſent, ideò ſimiæ iſtæ vt videantur veterum Canonum aſſertores, etſi rem ipſam penitus, vt ſuo loco oſtendimus, ſuſtulerunt, tamen in ſuis perturbatiſſimis ordinibus volunt veterum Eccleſiaſticarum functionum gradus videri accuratè retinere: quod quum faciunt, quid aliud quàm ſuam ignorantiam

& impudentiam ipsis etiam pueris produnt? Quid enim isti retinuerunt ex Diaconorum muneribus, vbi illa Ecclesiastici ærarij distributio in quatuor quadrantes, quorum anteà meminimus? vbi quadrans ille qui Episcopo committebatur? nempe horum sũptuum potiùs reddiderint rationem lenones, scorta, cupediarij, coqui, sartores, canes, equi, accipitres, quàm vel Episcopi vel Presbyteri, vel Diaconi. Vbi verò quadrans Clericis alendis destinatus? Imò vbi Clerus vllus? Rogentur Canonici, qui prædam inter se diuidunt. Vbi quadrans pauperibus alendis destinatus? euanuit nimirum in istorum prædonum sacculis. Nam prochotrophiorum & Nosocomiorũ sũptus aliunde peti nemo est qui nesciat. Et tamen hic quoque pudor est meminisse quæ sacrilegia committantur, istis harpyis ita in hæc quoque inuolantibus, vt vix sit quicquam quod ipsorum vngues effugiat. Et hæc quidem est apud Papistas bonorum Ecclesiasticorum procuratio.

XIIII. De falso Papisticæ Synagogæ Presbyterio.

Quod attinet ad Christiani Presbyterij cum Papistico collationem, quid dissimilius fingi possit? Primùm enim quo iure iurisdictionem Ecclesiæ Spiritualem cum Ciuilis magistratus auctoritate confuderunt.

Secundò, quorsum tot Presbyterorum agmina in Papatu? an vt disciplinam Ecclesiæ tueãtur? nihil minùs: sed vt Christum sacrificent pro viuis & pro mortuis, id est vt Christum suo sacerdotio spoliẽt, & nostræ salutis fundamentũ pro viribus conuellant. Sunt autem multa istorũ genera. Nam alij sunt beneficiarij, assignatis videlicet non vnius Ecclesiæ sed quotcunque possunt Ecclesiarum reditibus seipsos abundè saginantes: alij sunt famelici & omnibus modis mi-

miſerabiles Miſſifices, qui vel in diem viuunt arrodendo ſuo cruſtulo, vel vicariam ſuam operam pinguibus illis porcis accommodant, tantiſper dum ipſi cibum è flamma petant. Alij varijs ex rebus lucrũ ſibi & Epiſcopo captant. Nam officiales, Vicarij Domini Epiſcopi, Promotores, & cæteri id genus occuparunt Leuiticorum ſacerdotum locum quadã ex parte. Canonici ſiue Donherri in Clericorum locum ſeipſos ſurrogarunt, homines planè religioſi, & digni qui ad Eccleſiarum gubernacula vocentur, ſi modò priùs nobis demonſtrarent, quod ſit inter ipſos & bipedes porcos diſcrimẽ. Sed inter õnes iſtos presbyteros, vel potiùs ſacrificos, ecquis eſt qui presbyteri munus adminiſtret? An iſti cogitant de eo quod præcipuum eſt, nimirum de doctrina Chriſtianæ religionis à tot corruptelis repurganda? Sanè verò quaſi hoc ſit officium ſacerdotum ac non potiùs Magiſtrorum noſtrorum. Nam iſtis longè aliud eſt Theologum quàm presbyterum ſiue ſacrificum eſſe. Et tamen quum ad Synodum venitur, ſolis Epiſcopis vox deliberatiua conceditur. Quid ſi igitur Epiſcopis quiduis potiùs venit in mẽtem quàm vt Theologiæ operam darent? qualis erit eorum deliberatio in decidendis tanti momenti controuerſijs? nẽpe ſubſidium petent à Sorbonæ & aliarũ ſcholarũ doctoribus. Itáne verò Chriſtianam Eccleſiam eò recidiſſe, vt quum de conuellenda quapiam hæreſi, & componendis in religione diſſidijs agitur, non penes Paſtores, qui nulli ſunt, ſed penes impuros Sophiſtas, penes Monaſteriorum, id eſt, Sodomæ cloacas, penes inferorum ſtercora, ſit earũ rerum cognitio? Nã hoc ipſo tempore quo hæc ſcribebã, inter Sorbonagros & Epiſcopum Pariſienſem magnam exortã controuerſiam conſtabat de hæreſeon & hæreticorum,

quos appellãt,iudicijs. Quaſi verò in Eccleſia vnquã fuerit auditum Doctorem Paſtori præire: aut quaſi pro Eccleſiæ doctoribus habendi ſint qui in ſcholæ puluere verſantur, & quibus nulla dum Eccleſia docenda attributa eſt. Cõſtat enim inſtitutas fuiſſe ſcholas vt inde tum Paſtores, tum Doctores ad Eccleſias regendas aſſumerentur. Magnum igitur eſt diſcrimen inter Scholæ Magiſtros à quibus Clericos erudiri oportuit,& Eccleſiæ doctores, de quorum officio copioſius alibi diſſeruimus. Sed quid attinẽt iſta ad Papiſticas non Theologiæ ſed Matæologiæ, vanitatis, impudentiæ,Sophiſtices officinas?

Iam verò ſi de morum correctione & offendiculis tollendis quæritur, cui rei præfuiſſe Presbyterorum collegium oſtendimus:quo modo tandem ad id prę-ſtandum idonei fuerint, qui omni turpitudinis genere cælum & terram ipſoſque adeò inferos ita oppleuerunt, vt & ipſi ſuarum ſordium fœtorem vix ferãt, & diabolis ipſis fœteant? Quod autem ad Electiones attinet,quàm pridem ſunt abolitæ,inque fœdiſſimam illam nundinationem cõmutatæ? Quæ verò in Monaſterijs & Eccleſijs Capitularibus quas vocant, alicubi adhuc ſuperſunt,quid habent cum veteribus illis electionibus puris ac ſinceris commune? Confirmationes autem quid aliud ſunt quàm hiſtrionicæ quædam actiones?

Denique ſi de cauſarum Eccleſiaſticarum diſceptatione quæritur, ac præſertim de correctionis diſciplina, vbi quæſo, in Papatu inuenias Presbyterorum collegium? Vbi legitima iudiciorum forma, quibus erudiantur indocti,& peccatores ad reſipiſcentiam adducantur? vbi Dei verbum? vbi veteres Synodi & Canones ad conuincendos hæreticos? penes quos eſt excommunicandi poteſtas, & quibus

de

de cauſis? quæ abſolutionum & ſatisfactionum Eccleſiaſticarum formula?

Hæc igitur Papiſticæ illius Hierarchiæ dignitas, hoc illorum eſt planè Babylonicum chaos.

De Monachis.

Ad conuincendos Monachos, quibus nihil hodie frequentius in omnibus compitis apparet, vel ſolo ipſo Monachorum nomine opus eſt, vt intelligi poſſit nihil eos cum veris Monachis commune habere. Sed hoc longè meliùs ex re ipſa quàm ex nomine cognoſcetur. Monaſteriorum vſum peruetuſtum eſſe cõſtat, ſed qui mox in inſanam prorſus ſuperſtitionẽ degenerauerit, ſicut ex Synodi Gãgrenſis canonibus apparet, aduerſus ea ipſa conſcriptis de quibus hodie pſeudomonachi gloriantur. Multis tamen magnis & pijs hominibus placuit ſolitariæ vitæ genus, ſed duabus præcipuè de cauſis: nempe vt maiore cum quiete cognoſcendis ſcripturis operam darent, & ſeſe ad patientiam & crucem perferendam ſeueriſſimo quodam vitæ genere aſſuefacerent. Intereà verò nõ ſolebãt perpetuo voto ſeſe huic vel illi ſolitudini adſtringere, ſed ibi tanquã in ſcholis trãquillioribus ad functiones Eccleſiaſticas ſeſe præparabant, vt ex Nanzianzeni, Baſilij, Auguſtini & aliorũ exemplis apparet: niſi ſi quibus ſolitudo illa perpetua placeret, quorum tamen inſtitutum videtur cum Chriſtianæ charitatis regula parum conuenire, & melancholiam morbum reſipere. Otio nullus illic locus relinquebatur, adeò vt ſeſe & pauperes alerent manuum ſuarum labore, & Monachus manibus non laborans pro latrone haberetur [a]. Parciſſimè quidem ac frugaliſſimè viuebant, ſed neque in ſuis abſtinentijs ſpem ſalutis vlla ex parte reponebant [b], neque quiſquam ſupra

[a] Hiſt. tripa. li. 8. cap. 1. 2. *The.* 3. c. 9. 10.

[b] 1. *Ti.* 4. c. 8.

vires premebatur, sed si qui non satis magnã sui rationem habebant, admonebantur fraternè ne vana superstitione debiliores potiùs quàm sanctiores fierẽt[c]. Coniugium non damnabãt vt rem malam, sed vt solitariæ illi vitæ prorsus repugnans non amplectebãtur. Interea verò perpetuæ continentiæ votum, quale posteà inuexit Satan, ne in Monialium quidẽ cõuentibus fuisse vsurpatum, vel ex istis Cypriani verbis liquet[a]. *Si sese*, inquit, *ex fide Christo dicauerunt, pudicè & castè sine fabula perseuerent, & ita fortes ac stabiles præmium virginitatis expectent. Si autem perseuerare nolunt, vel nõ possunt, melius est vt nubant quàm in ignem delicijs suis cadant*. Hæc ille: qui si hodie superstes esset, non dubium est quin vt hæreticus damnaretur. Talis ergo fuit olim verorum Monachorum regula, ad quam si nostræ ætatis Monachos reuocemus, quęso quid dissimilius fingi possit? Illi solitudinem pacatam & tranquillam captabant: isti quid potiùs quàm populosissimas quasque vrbes quærũt, non modò vt ibi habitent, sed etiã vt integras vorẽt? Pauperes illi parcè suis laborib⁹ in suis tuguriolis viuebãt: isti superbissima palatia incolũt, vrbes, pagos, regiones integras possident omnium laborum adeò fugitãtes, vt etiam in otio saluté collocent: adeó gulæ & vino præsertim dediti vt amphoras potiùs quàm homines referant, & nullam eiusmodi ingluuiem nec maiores nostri à condito mundo viderint, nec vẽtura posteritas sensura videatur. Virgines erant illi, & rara virtutum exemplaria: istorũ verò lustra, teste vniuerso mundo, quid aliud sunt quàm superstitionis, ignorantiæ, blasphemiarũ, inuidẽtiæ, ambitionis, proditionũ, ebrietatis, homicidiorũ & teterrimarum ac monstrosissimarũ quarũuis libidinũ officinæ, vel fœdissimæ potiùs cloacæ, quarũ fœtorẽ ne diaboli quidem

[c] Augustin. de mor. Eccle. Catho. ca. 31. & 33. 1. *Tim.* 5. *d.* 23.

[a] Cypri. lib. epist. 1. c. 11

dem ipsi possint amplius sustinere? In Primis autem quatuor illi mendicantium ordines, quid aliud sunt præ cæteris quàm alteri quidē Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται, κακὰ θηρία, γαστέρες ἀργαί? Et sanè nisi iam pridem satis esset nota istorum desperata hypocrisis, mirari meritò possent omnes Papam saltem suis creaturis non credere. Nam vt omittam omnium scholarū, ac præsertim Parisiensis iudicia aduersus istas harpyas & coronatas locustas edita anno Domini 1389, nō ita pridē, id est, anno Domini 1538, cōsulti Cardinales delecti à Paulo tertio tum pontifice, disertè responderunt inter cætera videri sibi Conuentuales omnes ordines tollendos. Cur igitur illis saltem non est creditū? cur postea impurissimus ille Iulius tertius Pauli successor, & quidem vnus ex delectis illis Cardinalibus, sententiam illam non est amplexus? aut cur ista saltem monstra, quod ab hinc annum frustrà conatus fuit Paulus quartus, intra suas caueas non abdidit, vt sese mutuò potiùs consumerent, quam viuos omnes ac mortuos vorarent? Nempe quoniam hæc est veluti fatalis pernicies Ecclesiæ vt vorētur oues à lupis: & Romæ nihil nō Plutone intercedente, obtinetur, quia Satanæ cum Satana optimè cōuenit. Sed de his sordibus satis, aut etiā nimium multa. Vnum tamen prætereà à perfectissimis istis cucullionibus petam, vt nisi forsan illis molestum est, ad hæc quatuor respondeant, tantisper dum alia comparamus,

Vnum, Annon sit verissimum, Monachos quandiu non impurissima fuit Ecclesia, fuisse pro Laicis, quos vocant, habitos.

Secundum, Annon ipsius quoque Gregorij magni temporibus monstri simile fuerit Clericū simul esse & monachum[a], nedum Diaconum vel Presbyterum.

[a] Grego. li. ep. 3. ep. 11

Tertium, An non diſertè iubeãtur ordinarijs ſuis ſubeſſe ex vniuerſalis Chalcedonenſis Concilij canonibus expreſſis, & quo iure cuiquam fas fuerit celebratiſſimæ Synodi auctoritatem, inconſulta ſaltẽ Eccleſia, conuellere.

Quartum, An non quotquot hodie viuunt otioſi Monachi, id eſt, quotquot manuũ laborem à ſe abdicant, tot ſint, ex ſuarum regularum contexu, periuri & Apoſtatæ.

Hæc vbi nobis explicarint, dabimus operã (Deo fauente) vt in alijs explicandis difficilioribus nodis deſudent, & ita ſaltem ſpiritualiter diſcant laborare.

XV. Papiſtæ Magiſtratuum contempores manifeſtiſſimi.

Miram & incredibilẽ Papiſtarum impudẽtiam eſſe oportet, ſaltẽ in eo quòd nos audeant apud Reges & principes tanquã perfidos ac rebelles accuſare. Quã enim honorificè de Magiſtratuũ imperio ſentiamus & loquamur, & quantum illis tribuamus, non modò ſcriptis, ſed etiam reipſa teſtamur, quod ne ij quidem poſſũt ignorare qui nos omni crudelitatis genere perſequũtur. Libertinorum autem, Anabaptiſtarũ, Bellianorum, & aliorum id genus furores tantum abeſt vt approbemus, vt etiam ſupplicio vindicandos arbitremur. Sed quorſum hac defenſione apud Papiſtas vtamur, quum nullum hominũ genus apertiùs Magiſtratui rebellet? Quis enĩ ſibi regna & imperia terræ ad pedes ſubiecit? quis eò vſq; progreſſus eſt vt Imperatoris collum pedibus conculcaret? quis florentiſſimam Italiæ partem ipſamq; adeò Romam Cæſari ademit? an nõ Romanus Antichriſtus? Omnes huius ſeculi dignitates, an non hodie ſibi Abbates & Epiſcopi vendicãt? Imò an quiſquã eſt vel viliſſimus Monachus, vel impuriſſimus Sacrificus, qui non ſeſe eximat

mat ſecularium Magiſtratuum iuriſdictioni? Dicant igitur iſti cauſam manifeſtæ rebellionis potiùs quã nos accuſent. Profitemur enim nos coram Deo & hominibus, Ieſu Chriſti exemplum ſequi [a], & Pauli [b], ac Petri [c] monitis obſequi, & de Papiſtis vaticinatum Iudam dicimus [d], vbi de ijs agit qui abolẽt dominia & dignitates, & conuicijs inceſſunt. Quòd ſi recuſant iſti nobis accuſantibus reſpondere, agè duos illis accuſatores præbebimus quorum auctoritatem neceſſe ſit eos reuereri, Chryſoſtomum videlicet & Bernardum. Sic igitur Chryſoſtomus, quãuis illi cum ſtolido Imperatore Arcadio, & ſuperbiſſima illius vxore Eudoxia negotium eſſet. Sic, inquam, ille Pauli locum explicans, vbi iubetur omnis anima ſuperiobus poteſtatibus ſubijci. *Omnibus*, inquit, *iſta præcipi ſacerdotibus quoque & Monachis, non autem ſolis ſecularibus, Apoſtolus ex ipſo proœmio declarat quũ inquit, Omnis anima poteſtatibus ſupereminentibus ſubijciatur, etiam ſi Apoſtolus fueris, etiam ſi Euangeliſta, etiam ſi Propheta vel quiuis alius. Neq; enim ſubiectio euertit Dei cultum.*

a *Mat.17.b. 24. & de inceps.*
b *Ro.13.a.1. & alibi paſſim.*
c *1.Pe.2.c. 13.14.& 5 a.3.*
d *Iud.b.8.*

Hæc ille. Nunc autem Bernardum audiamus prorſus conſentientem, quum ad ipſum Papam Eugenium ſcriberet [a]. *Quo iure*, inquit, de temporali gladio loquens, *Papa hæc ſibi vendicat? non certè Apoſtolico iure. Neque enim Petrus quod nõ habuit dare potuit, ſed dedit ſucceſſoribus quod habebat, ſolicitudinẽ Eccleſiarum.* Item, *In criminibus*, inquit, *non in poſſeſſionibus poteſtas veſtra, quoniam propter illa non propter has, accepiſtis claues regni cælorum. Quænã tibi videtur maior dignitas, dimittẽdi peccata, an prædia diuidendi? nulla comparatio: habent hæc infima & terrena iudices ſuos reges, & principes terræ. Quid fines alienos inuaditis?* Itẽ, *Diſce tibi ſarculo opus eſſe non ſceptro, vt*

a Bernar. lib. de Conſ. 2.

opus facias Prophetæ. Item, *Planum est. Apostolis interdicitur Dominatus. I ergo tu, & tibi vsurpare aude, aut Dominans Apostolatum, aut Apostolicus dominatū.* Hæc iam olim Bernardus totidem verbis. At ego præterea vt rei coram cælo & terra peragantur, profero Gregorij Papæ ad Mauricium Imperatorem epistolas, & Papæ Pelagij rescriptū ad Childebertum 25. q. 1. c. satagendum, & Leonis quarti rescriptum. 2. q. 1 c. Nos si incompetenter. Quid ad hæc Papistæ quæ iam per tot annos sunt illis inculcata? nempe frontē perfricuerunt, & Arelatense Concilium, Regum donationes partim falsas, partim ementitas, longi denique temporis præscriptionē opponent. Sed quorsum ista aduersus expressum Dei verbum? Desinant tandem igitur isti nos calumniari, & de obiectis criminibus diluendis potiùs quàm de nobis criminandis cogitent. Attollant quoque oculos Reges terræ & principes, & Filium Dei osculantes, ab istorum Tyrannide suam asserant dignitatem.

Conclusio totius operis

Speramus fore, vt quicunque superiora diligenter & attentè perlegerit, simul quoque ex nostræ doctrinæ cum verbo Dei & Papistica impietate collatione facilè intelligat ab vtra parte stet Dei veritas & quibus calumnijs immeritò obruamur. Itaque per Dei nomen omnes eos obtestamur qui ad hunc vsq; diem persequuti sunt Euangeliū æternum Filij Dei, vt deinceps de sua salute & venturo iudicio cogitēt. Reges igitur ac principes deinceps attētioribus animis eum loquentem auscultent à quo regna & imperia sese accepisse profitentur, & ab illis sibi caueāt qui religionis obtentu coronas illorum ac sceptra suis tiaris & pedellis subiecerūt, nec illis aliter quàm carnificibus & suorum scelerum administris abutū-

tur

tur. Considerent quoque Iudices, cæterique Magistratus, quid coram summo illo iudice sint respon suri, si carnificum manum ad fundendum piorum sanguinem armare pergant. Omnes denique tandem intelligant vbi nulla est cognitio siue scientia verbi Dei, ibi nullum esse Zelum qui Deo probetur, sed rabiem duntaxat & cruentam insaniam, cuius tandem aliquando reddenda sit ratio coram Deo & Angelis ipsius. Is enim suo tempore viuos & mortuos iudicabit, non ex opinionum vel traditionum, vel consuetudinum humanarum præscripto, sed ex æterno suo Euangelio quod mundus execratur. Sed pudeat tandem Christi nomen profitentes, Christi doctrinã ignorare, nec temporis saltem aliquid dare cognoscendæ eorum doctrinæ ac vitæ quos ferro & flãmis immeritò persequuntur.

Quantum autem ad Epicureos & Apostatas illos attinet, qui scientes ac volentes repugnant Dei veritati, & principum animos non desinunt ad omnem crudelitatem incitare, vnius Dei est Ecclesiam suam, sicut adhuc fecit, & facturum speramus, aduersus illorum rabiem tueri ac conseruare. Conentur igitur illi quicquid libuerit, mentiantur, insaniant, sæuiant vt volent, quid aliud quàm nobis maximè proderunt, si crudelitas illorum nos ex hoc mundo ad perpetuã illam fœlicitatem obtinendam in cælum vsque & Christi nostri sinum expulerit? Interea tamen ne hãc quidem vitam, nisi Deo nostro volente, nobis eripient: & quandiu superstites erimus, non desinemus Dei regnum inuitis & frustrà ringentibus illis, amplificare. Illorum, inquam, flammas chartarum saltem multitudine opprimemus: calamis hebetabimus illorum gladios: patientia denique, Deo duce, omnem illorum immanitatem oppugnabimus: & expugna-

bimus: & ſuis oculis infœlices illi triumphantem veritatem & euerſum ſuum imperium tandem aliquando conſpicient. Neceſſe enim eſt dictum illud Chriſti, velint nolint, impleri, *Omnis planta quam non plantauerit Pater meus radicitus extirpabitur.* Hæc fides, hæc ſpes noſtra eſt pro qua affligimur, in qua nunc viuimus, & nos morituros ſperamus vt vitam viuamus ſempiternam.

AMEN.

THEODORI BEZAE

ALTERA BREVIS FIDEI CONFESSIO,

ET EIVSDEM CVM SVperiore argumenti.

Articulo. I QVVM Deus ſit perfectè iuſtus, & omnes homines ſint omnino peccatores, iſtorum alterum neceſſarium eſt, aut vt Deus iuſtitiæ ſuæ renuntiet, quod fieri non poteſt: aut vt omnes homines pereant ſine vlla exceptione, niſi iuſtitiæ diuinæ perfectè ſatisfaciãt.

II. Verũ is iuſtitiæ diuinæ perfectè ſatisfacit, qui Deo quicquid debet perſoluit. Quãobrem primùm quærendum eſt quidnam homines Deo debeant: tum videndum an ea quæ debent perſoluere poſſint: denique & tertio loco, ſi compererimus eos non eſſe ſoluendo, inueſtigandum eſt vndénam mutuò ad ſoluẽdum accipere, id eſt, ſoluendi facultatem, ac rationem inuenire poſſint, ne iuſto Dei iudicio pereant.

III. Vt verò intelligamus quidnam homines Deo debeant,

beant, inſpicienda erit obligationis formula qua ex cratione obligati ſunt, & quæ duabus Legis tabulis perſcripta eſt. Quum verò teneamur ad Deum amandum ex toto corde noſtro, & proximum vti nos ipſos, perſpicuũ eſt quid debeamus, nimirum amorem perfectum Deo & proximo.

At quomodo quis hoc præſtare poſſit, niſi in primis naturam habeat ad hoc aptam atque accommodatam? Experientia verò oſtendit naturam noſtram in partem contrariam ex ſeſe ferri, ita vt omnes ſua ſponte tendant ad Dei & proximi odium, vt plumbum tendit deorſum. Quòd ſi natura noſtra nos ad odium impellat, quomodo eum amorem quem debemus, perſoluemus? IIII.

Hinc igitur tres concluſiones eliciendæ ſunt, nimirum, Omnes homines natura ſua Deo eſſe infenſos, quippe corruptos: tũ, Non tantùm id quod debẽt nõ ſoluere, ſed etiam nouis in dies peccatis ſeipſos iuſto Dei iudicio magis ac magis inuoluere atq; obligare. Vnde tertia concluſio conſequitur, nempe, Neceſſe eſſe aut omnes homines ſine vlla exceptione cõdenari, aut certè inuenire aliquem qui pro ſe perſoluat. V.

Vbínam verò talis fideiuſſor reperietur qui hæc præſtet? Certè nullibi inter res cratas. Si enim inter Angelos eum queramus, duplex reſponſio parata eſt. Quum enim Angeli minimè ſint propter hominum peccatũ obligati, non eſt iuſtitiæ Dei conſentaneũ vt ab Angelis exigat quod homines debent. Præterea, quum de infinita Dei ira tolleranda agatur, omnino conſtat nec Angelos quidem tanto oneri eſſe pares. VI.

Quod ſi Angeli tantũ onus obire non queunt, ecquænã tãdem ex rebus creatis huic rei ſatis eſſe poſſit? Efficitur ergo neceſſariũ eſſe vt ad aliquẽ accurramus qui omnibus rebus creatis potẽtior ſit, & qui- VII.

dem qui sit verus homo. Ni enim omnibus rebus creatis potentior sit, non poterit iræ Dei pondus sustinere quin ipse succumbat, tãtum abest vt pro alijs satisfacere possit. Et ni sit homo, quomodo homines ea satisfactione quam ipse pertulerit, liberari poterunt? Necesse ergo est haberi Mediatorem, qui sit verus Deus & verus homo: & talis omnino est vnus IESVS CHRISTVS, quem nobis offert Religio Christiana.

VIII. Iam verò videamus num talis sit Iesus Christus vt in eo reperire possimus quicquid ad nostram salutẽ requiritur. Primum, Iesus Christus est verus Deus: vnde consequitur illum posse esse Seruatorem, Præterea, verus est homo: vnde efficitur, illum habere naturam accommodatam ad id sustinendum quod exigit iustitia diuina vindicandis hominum peccatis. Si enim tantùm Deus esset, minimè pati posset: si tãtùm homo, iustitiæ diuinæ oneri succumberet. Quoniam autẽ & Deus & homo est, ideo & mori potest, & mortem, moriendo, superare.

IX. Præterea, quia est homo purissimus & sanctissimus, conceptus nimirum ex Spiritu sancto, perfecta illa puritas Deo sanè placet. Itaque in Christi persona habemus hominem Deo placentem. Porrò ex illa puritate duo riuuli tanquam ex purissimo fonte dimanant, scilicet, iustitia quædam perfecta, & peccati absentia. Iesus Christus enim homo ita omnem Dei voluntatem adimpleuit, vt nunquam vllo modo peccarit. Est igitur coram Deo, tum propter naturalem illam suam puritatem, tũ propter illius puritatis effecta iustissimus.

X. Itaque meritò concludere possumus in vno Iesu Christo, contra omnia mala quæ cõscientias nostras terrere possunt, & impedire quominus ad gloriam Dei,

Dei, id est, æternam felicitatem perueniamus, atque adeò efficere vt æterna morte condemnemur, præsentissima remedia reperiri. Sed addenda est conditio, Si ista remedia nobis applicemus. Quemadmodum enim nihil ægroto prodest bonum habere medicum, nisi eo vtatur: nec esurienti optimas dapes inspectare nisi eis vtatur: ita Iesu Christi contra irã Dei & mortem æternam remedium haud quicquam prodest, nisi eo vtamur. Illo verò vti non possumus, nisi intelligamus quónam id modo fieri possit. Primùm igitur videndum est quomodo Iesus Christus nobis applicetur.

Vt demonstremus quo modo vnusquisque possit Iesum Christum sibi applicare ad salutem & vitam æternam, vtemur hac præfatione. Quemadmodum non fuit in nostra facultate inuenire medicinam salutis, ita nec fieri potest vt rationem rectè vtendi ista medicina inueniamus: quoniam illud hac in re contigit quod in corporeis morbis vsuuenire solet, sicut nimirum desperatæ valetudinis ægroto morbum suum ignorante, necesse est vt medicus non solùm medicinam inueniat, sed & ægrotum ita disponat vt medicina vti & velit & possit, & rectè ea vtendi ratione cognoscat: ita in animi morbo qui longè est periculosissimus, & in quo homines non solùm salutis suæ sunt ignari, sed etiam aduersarij, necesse est vt ab eodem medico intelligamus, primùm quænam illa sit medicina, tum quo pacto illa sit vtendum: denique, vt ab eodem medico apti & idonei efficiamur ad hoc vt propositis remedijs vti & velimus & possimus. XI.

DEVS ergo is est qui primos homines alloquens Angelorum suorum ministerio, nimirum ab Adamo vsque ad Mosen, illis declarauit vnicum illud salutis XII.

noſtræ remedium quod explicauimus, nimirum IESVM CHRISTVM, in quo vno reperimus quicquid eſt neceſſarium ad noſtram ſalutem. Is verò poſteà cæteris nationibus repudiatis, initioq; cum Abrahamo ipſiuſque poſteritate fœdere, eaque valde multiplicata, voluntatem ſuam pleniùs ipſi expoſuit, vti eſt in Decalogo cõprehenſa. Poſtea, adiunxit ſacrificia & alias cæremonias, quæ nõ ſolùm ab alijs omnibus populis & nationibus populũ Dei ſeparabant, ſed etiam certa erant teſtimonia futuri Seruatoris, & eorum omnium quæ, vt nos ab ira Dei vindicaret, paſſurus erat, vt in eum fiducia collocari poſſet, cuius aduentus expectabatur. Præterea, quia Deus norat Diabolum falſos Prophetas excitaturum, à quibus mendacia proponerentur quaſi vera Dei mandata: ideò voluit Moſen alioſque Prophetas perſcribere quæcunque Deus illis patefeciſſet, ne facilè populus à falſis illis Prophetis deciperetur.

XIII. Tandem verò, poſtquàm aduenit tempus pro ſua infinita ſapientia ab æterno deſtinatum atque conſtitutum, promiſſionem ſuam è cælo exhibuit, nimirũ Filium ſuum æternum, qui ſecum aſſumpſit verum corpus humanum, factum & formatum virtute Spiritus ſancti, ex ſubſtantia virginis Mariæ, ex ſemine Abrahami & Dauidis ſecundum Prophetarum prædictiones: cum quo corpore Deus coniunxit animũ puriſſimum & ſanctiſſimum, eadem virtute Spiritus ſancti creatum. Atque ita Ieſus Chriſtus declaratus fuit verus Mediator vti ſuprà diximus, & reuera impleuit atque perfecit quicquid neceſſarium erat hominibus Deo reconciliandis.

XIIII. Denique rebus omnibus ita perfectis, Ieſus Chriſtus cælum aſcendens, voluit omnem iſtam doctrinã non tantum Apoſtolorum atque Euangeliſtarũ ore annuntiari,

annuntiari, sed etiam ab illis perspicuè perscribi, vt Ecclesia Dei vsque ad finẽ seculi certam haberet doctrinam cui inniti posset, quæque adeò veram atque vnicam veritatem à Pseudoapostolorũ & Antichristorum mendacijs atque impostoris separaret: quæ quidem veritas veteris & noui Instrumenti libris cõprehensa est, ita vt nihil in eis fas sit immutare, vel eis quicquam addere vel adimere.

Deinde, quia hæc doctrina frustrà scripta esset, nisi fideliter annuntiaretur atque declararetur, homines verò neque Dei neque Angelorum conspectum ferre possent: Deus hominum misertus, in Ecclesia sua constituit Pastores & Doctores, à quibus vult illam integram doctrinam fideliter proponi, atque ad Ecclesiæ necessitates publicè & priuatim applicari, ne homines ignorãtiã diuinę volũtatis prętexere queãt. XV.

Quare vt totam rẽ istam in pauca conferam, Discimus ex fidelium Dei ministrorum ore, qui verbum Dei Ecclesiæ declarãt, quicquid hactenus docuimus requiri ad nostram miseriam & salutem intelligendã. Et quoniam verbum Dei frustrà hominibus proponeretur, non aliter quàm si lapidi fieret sermo: sciendum est, Deum vt per exteriores sensus in homines agit, verbo illo suo Ministrorum suorum opera annuntiato, ita interiùs efficaciter & potẽter agere per infinitam potentiam suam, id est, per Spiritum suum sanctum: cuius munus situm est in his effectis quæ modò explicabimus. XVI.

Primùm, vt ea Scripturæ pars, quæ Lex vocatur, demonstrat nos esse miserrimos peccatores, mortem æternam commeritos: ita Spiritus sanctus idẽ in nobis clamat, illudque idem infigit conscientijs nostris alioqui perstupidis & ἀναισθήτοις, & efficit vt vero peccatorum nostrorum sensu tangamur, qui est pri- XVII.

mus ad ſalutem gradus : ſicut in corporeis morbis primùm neceſſe eſt ad ſanitatem recuperandam vt cognoſcamus nos eſſe ægrotos, & morbi quo laboramus magnitudinem intelligamus.

XVIII. Secundum ſancti Spiritus effectum ab illo ſuperiore planè diuerſum eſt. Illud enim nos affligit, damnationem noſtram per Legem oſtendendo & quaſi apertas inferorum abyſſos: hoc verò nos conſolatur, conſcientijs noſtris verum illud & vnicum ſalutis remedium applicando, quod ab altera Scripturæ parte annũtiatur, nimirum EVANGELIO, id eſt, fœlici illo atque læto gratuitæ in Ieſu Chriſto ſalutis nuntio, ſicut ſuperiùs demonſtrauimus.

XIX. Hoc verò remedium duplici Spiritus ſancti efficacia applicatur. Primùm enim, Spiritus ſanctus diſponit intelligentiam noſtram ad percipiendam doctrinã Euangelij, quæ alioqui mundo videtur mera ſtultitia. Deinde animo noſtro perſuadet, iſtam gratuitæ in Ieſu Chriſto ſalutis doctrinam non ſolùm veram eſſe, (nam & diaboli intelligunt veriſſimam illam eſſe, & tamen non ſeruantur) ſed etiam illã ad nos pertinere. Et illud omnino eſt quod fidem appellamus, tantopere in Scriptura commendatam: nempe quum aliquis ſibi certò perſuadet, promiſſiones ſalutis & vitæ æternæ ad ſe ſingulatim ac propriè pertinere. Quũ enim Chriſtus in Euangelio nobis hac conditione proponatur, vt eum fide nobis applicemus: inde fit, vt fides ſolum ſit inſtrumentum quo veluti manu quadam ſalutem in Chriſto apprehẽdamus. Ideò dicebat Paulus, Nos ſola fide iuſtificari, atque adeò ea ſola nos viuere, id eſt, fœlices eſſe: non quaſi propriè fides ſit noſtra iuſtitia & vita, ſed quoniam per ſolam fidem Chriſtum amplectimur, & certò ſcimus illum nobis eſſe iuſtitiam atq; vitam. Quum enim quis certò

tò apud se statuit sese ad salutem vitamque æternam in Christo destinatum, omnino sit particeps omniũ Christi beneficiorum in vitam æternam, quum in eum finem Christus illi offeratur.

XX. Tertium Spiritus sancti effectum situm est in cordibus nostris. Quum enim Christo nos vniat (sicuti diximus) nec possit esse in nobis Christus otiosus, necesse est vt idem Spiritus sanctus qui fidem in nobis (vti diximus) ingenerat, vnà item cor nostrum sanctificet, id est, Deo consecret atque dedicet. Ista autem sanctificatio duas habet partes, nimirũm abolitionem & exinanitionẽ vitiosæ illius qualitatis quæ efficiebat vt lex Dei nobis displiceret, & arrepta inde occasione magis ac magis peccato delectaremur: & nouæ qualitatis creationem, que facit vt incipiamus bene velle, & ex animo facere quæ Deo placere scimus.

XXI. Ista verò abolitio primùm fit intelligentia, cuius tenebræ ita discutiuntur vt lux in nobis accendatur, vnde efficitur vt incipiamus agnoscere atque approbare quæ stultitiam esse ducebamus: deinde in voluntate Deo consecrata, ita vt peccatum odio habeat, non propter pœnam, sed propter amorem Dei, & iustitiam amet, non mercedis causa simpliciter, sed quoniam iustitia Deo per se placet: & quidem ita, vt etiam si nulla mortis pœna peccatoribus esset parata, nec vita æterna ijs destinata qui iustitiam colunt, tamen iustitiã sequi mallent, id est, Deo sanctè obsequi & proximum diligere, sicut Lex Dei præcipit, atque omnes adeò molestias nominis ipsius causa subire, quàm diabolo & suis cupiditatibus seruire.

XXII. Quare, vt omnia in vnam summam conferam, sicut in vno Iesu Christo omnia cõperimus ad salutẽ necessaria, ita hæc omnia nobis applicat per fidem

Spiritus ſanctus. Sed quoniam hæc fides in nobis primùm perexigua eſt, neceſſe eſt vt in nobis quotidie creſcat. Itaque nunc videndum eſt quo cibo in nobis alatur atque foueatur, vt in dies magis ac magis augeatur. Primùm ergo vt in nobis creatur per Spiritũ ſanctũ, intermedio verbo Dei in noſtris cordibus quaſi diſſeminato (vnde etiam aliquando ſemen vocatur) ita per idem Verbum nutritur quum illud attentè in Eccleſia Dei audimus, illudque & legimus, & ſepoſitis rerum humanarum curis quæ nos à Deo auocare & mundo inuoluere poſſent, aſſiduè animo verſamus. Ideò dicebat Dauid fœlices eſſe, non diuites, Reges, Principes, & mundi alios incolas, ſed eos qui aſſiduè & diligenter cogitant de doctrina Dei, & quaſi peregrini & aduenæ in cælum tanquam in patriam aſpirant.

XXIII. Secundò, tenendum eſt Deum noſtræ imbecillitatis maximam habuiſſe rationem, ita quidem vt non tantùm nobiſcum agat per verbum ſuum, docendo nos amorem ſuum quo nos in Chriſto complectitur: ſed verbo ſuo addere voluerit exteriores notas, quæ certis quibuſdam cæremonijs deſignatæ, nobis quaſi ob oculos & inter manus repræſentent atque exhibeãt Ieſum Chriſtũ cum omnibus ſuis bonis, de quibus locuti ſumus, vti nimirum fides his quaſi fulcris innixa, magis ac magis in nobis confirmetur atque corroboretur, & nos Chriſto propiùs admoueat atque adiungat. Iſtæ notæ μυστηρια Græco vocabulo appellantur, quoniã per ea ſigna Deus nobis ſignificat atque exhibet res verè arcanas atque ſecretas, de quibus homines ne ſuſpicari quidem vnquam potuiſſent, nimirum Ieſum Chriſtum cum omnibus ſuis bonis in vitam æternam. Latino verò vocabulo Sacramenta appellantur, propter alium quendam ipſorum

forum vſum de quo ſuo loco dicemus.

Sunt igitur in Eccleſia Chriſtiana duo Sacramenta, nempe Baptiſmus & Cœna Domini, quoniam abolitis atque abrogatis legis cæremonijs, ortoq; iuſtitiæ Sole, noluit Dominus rurſum vmbrarum & figurarum multitudine nos inuoluere, ſed tantùm duo conſtituit Sacramenta, & quidē rebus ſimpliciſſimis compoſita, nimirū Aqua, Pane & Vino: & quæ ſimpliciſſimis cæremonijs celebrarentur, nempe Aſperſione Aquæ, Panis manducatione, Vini potione: ne homines plus æquo natura ſua ſuperſtitioni dediti, illis rebus abuterentur. Nam ſi magnum aliquem apparatum & exquiſitas cæremonias viderent, ad externas illas pompas curioſiùs ſatagerent, & pro eo quòd in cœlum fide aſcendendū eſt, ibiq; res per illas notas nobis ſignificatas amplecti: homines contrà rerum cœleſtium obliti toti in rebus illis ſpecioſis inhærerent, & ſalutem in eis conſtituerent. Itaque illi Sacramentorum vſum corrūperunt, qui non contenti ſimplici & nudā Ieſu Chriſti inſtitutione, Eccleſiam infinitis cæremonijs onerarunt: & ita quidē vt Chriſtianiſmum, non tantùm in Iudaiſmum, ſed etiam in Paganiſmum omnino transformarint. XXIIII.

Sacramenta igitur in eundē finem à Deo ſunt ordinata, in quem & Verbū nudè & ſine Sacramentis propoſitum: nimirū vt ſint adiumenta ad nos propiùs cum Chriſto per fidem coniungendos atque vniendos. Nec ſine verbo eſſe poſſunt, vtpote quod nos docet ea quæ per illa Sacramēta nobis vult Deus repræſentare atque exhibere, quatenus quidē ſigna ſunt viſibilia eius cōmunicationis quę nobiſcū cū Chriſto intercedit. Porrò quatuor ſunt præcipua capita in iſto argumento conſideranda. Primum, Quænam ſunt ſigna. Secundū, Quænam res per illa ſignificetur. XXV.

Tertium, Quænam ſigni cum re ſignificata coniunctio. Quartum, Quomodo tũ ſignorum tum rei ſignificatæ fiamus participes. Signa igitur eæ ſunt res & quidẽ externæ, quibus in Sacramentis vtimur: vt Aqua in Baptiſmo: panis & vinum in Cœna: tum cæremoniæ & ritus à Dei verbo in eos vſus inſtituti, vti poſtea dicemus.

XXVI. Res ſignificata eſt Ieſus Chriſtus, cũ omnibus ſuis bonis, cũ quo nimirũ vnimur in vitam æternam. Signa verò non tranſmutantur in rem ſignificatã, ſed cũ ea coniunguntur, non quidem ob certorũ verborum pronuntiationem, ſed ex Ieſu Chriſti illorũ Sacramẽtorum auctoris inſtitutione: nec quidẽ id modo corporeo & naturali, ſed quatenus Deus ſemper offert ſpiritualiter quod per ſigna corporaliter ſignificatur.

XXVII. Modus communicandi ſignis, viſibilis eſt & naturalis: ſed Res ſignificata, nempe Ieſus Chriſtus cum omnibus ſuis bonis, recipitur fide ſpiritualiter, ſicuti ſuprà dictum eſt. Vnde conſequitur, eos qui fidem non afferunt, tantùm ſigna percipere, eſſe tamen magni ſceleris reos, tum quòd ſigna ipſa indignè perceperint, tum quòd nullam rei ſignificatæ, id eſt, Ieſu Chriſti & omnium ipſius bonorum, quæ aſpernantur, habuerint rationem.

XXVIII. Signum Baptiſmi, eſt Aqua ipſa qua ex Dei inſtitutione intingimur, in nomine Patris, Filij & Spiritus Sancti. Aqua verò ſignificat ſanguinẽ Ieſu Chriſti, qui fuit pro nobis effuſus in remiſſionem noſtrorum peccatorum, vti aqua corporibus noſtris infunditur: & qui nos ſanctificat, vt iuſtitiæ viuamus, ſicuti ſuperiùs dictum eſt.

XXIX. Quanuis autem Sacramenta verbũ Dei conſequi debeant, quoniam res cui in noſtris cordibus obſignandæ inſtituta ſunt, non aliter quàm fide recipitur,

fides

fides verò est ex verbo Dei: tamen paruulis fidelium infantibus Baptismum communicamus, quoniam licet nondum per ætatem nec verbum Dei audire, nec de eo confessionẽ edere possint (quod postea proiectiores facti debent) tamen cum suis parentibus in fœdere comprehenduntur, cuius ideo nota ac sigillũ illis adimi nec potest nec debet.

XXX. Secundus Baptismi vsus est, vt simul coniungamur, & omnes eodẽ Spiritu viuamus in Iesu Christo, cuius omnes eũdem characterem ferimus.

XXXI. In sancta Domini Cœna ex ipsius institutione celebrata, nihil immutando nec adimendo nec addendo, Panis est Sacramentum, id est, sigillum & nota veri corporis Iesu Christi, qui post mortem & resurrectionem ad dexteram Dei ascendit. Vinum itẽ nobis est Sacramentum veri sanguinis ipsius pro nobis effusi: fractio panis ostendit pretiosum corpus Domini magnis cruciatibus confractum fuisse: vini effusio, sanguinis effusionem. Minister verò panem & vinum nobis donans, repræsentat nobis Iesum Christum semetipsum nobis donantem. Quòd verò panem & vinum recipimus, edimus, bibimus: testatur & obsignat in cordibus nostris nostram cum Christo vnionem, vt illum magis ac magis cum omnibus ipsius bonis in vitam æternam possideamus: eumq; non dentibus vel ore, sed vera & viua fide apprehensum, quæ nos in cœlum attollit, vt eum spiritualiter amplectamur, & tamen verissimè, illum scilicet nostrum cibum, in vitam æternam: sicut panem & vinum corporeo modo & visibili manducãdo, corpus nostrum alitur & sustentatur in hac vita. Non enim dubitamus quin Deus quod per verbum suum promittit, & per Sacramenta offert, verè credentibus exhibeat.

XXXII. Secũdus Cœnæ Domini vſus eſt, vt nos quaſi vnius corporis mẽbra vniat atque coniũgat, ſicut nimirũ omnes in eodem pane è multis granis compoſito edimus: omnes ex eodẽ vino è multis vuis facto bibimus: vt eiuſdem Chriſti fiamus participes.

XXXIII. Sicut verò quotidie ad iſtam vitam ſuſtinendam edendũ eſt, ita ad iſtam ſacram menſam eſt ſæpiſſimè veniendum: quod non fit in Baptiſmo. Satis enim eſt ſemel ingreſſũ eſſe in Eccleſiam, ne vnquam ab ea egrediamur. Præterea quia in Cœna Domini neceſſe eſt vt nos ipſos probemus, & mortẽ Domini annuntiemus, id eſt, publicè profiteamur cũ actione gratiarũ, inde perſpicuũ eſt eam minimè ad illos pertinere qui ad id non ſunt idonei, nẽpe ad infantes, qui tamẽ non ideò à ſalute excluduntur, quia ſunt in patrum fœdere cõprehenſi: nec quidẽ ad eos aut qui non fuerunt edocti, aut non ita profecerunt vt de ſua fide cõfeſſionem facere poſſint. Sed nec ad eos pertinet qui declarati ſunt excommunicati, id eſt, extra communionem & conſortium fidelium legitimo Eccleſiæ iudicio eiecti, tantiſper dum reſipuiſſe conſtet.

XXXIIII. Hæc eſt in ſumma noſtræ ſalutis in Ieſu Chriſto per fidem apprehẽſo, doctrina: quam quicunque amplectitur (quod nõ poteſt fieri niſi in ijs locis vbi verbũ Dei fideliter prædicatur, & Sacramenta purè adminiſtrantur ex ordine per illud verbum conſtituto) membrũ eſt Eccleſiæ Ieſu Chriſti quæ Catholica dicitur, id eſt, vniuerſalis, extra quã nulla eſt ſalus. Omnis verò cœtus qui has notas non habet, quicquid tãdem iactet, quantãlibet ſucceſſionem, & quæcunque loca oſtentet, non poteſt aliud eſſe quam Synagoga Satanæ, in qua eſt damnatio, atque adeò ab illa ſecedendum eſt, vti Petrus iubet quũ inquit, *Seruate vos ex iſta generatione peruerſa*, etiam de Aaronis ſucceſſoribus

BRITISH 23 JU 74 MUSEUM

ſoribus & Eccleſia Ieroſolimitana loquens.

LAVS DEO.

INDEX CAPITVM ET SECTIONVM HV-IVS CONFESSIONIS.

De Trinitate, caput primum.

Sectio 1 Deum vnum eſſe. pag. 1.
2 Vnum Deum tribus perſonis non diuidi ſed diſtingui. 1
3 De æterna Dei prouidentia. 2

De perſona Patris, caput ſecundum.

1 De perſona Patris. 2
2 Patrem eſſe creatorem & conſeruatorem omniũ rerum. 3
3 De Angelis. 3
4 Opera Trinitatis inſeparabilia. 4

De Ieſu Chriſto, caput tertium.

1 De diuinitate Filij. 4
2 Filium ab æterno conſtitutum eſſe vnicum Mediatorem inter Deum & Electos. 4
3 Deus eſt perfectè iuſtus & perfectè miſericors. 5
4 Deus eſt immutabilis. 5
5 Secundas cauſas æterno conſilio Dei non excludi. 5
6 Hominem ad declarandam Dei iuſtitiam ac miſericordiam creatum eſſe. 5
7 Qua de cauſa primum hominem oportuerit purum creari. 6

8 Oportuiſſe hominem puritate & integritate ſua excidere. 6
9 Hominem à Deo purum ac bonum creatum eſſe. 7
10 Quomodo ſeſe primus homo cum vniuerſa poſteritate tum primæ tum ſecundæ morti obnoxium fecerit. 7
11 Qua via ad priorem mortem peruenitur. 7
12 Priorem mortem ſempiternam eſſe non poſſe. 8
13 Quæ via ad ſecundam mortem deducit. 8
14 Cuiuſmodi arbitrij libertas homini poſt peccatũ reliqua ſit facta. 9
15 Summa doctrinæ de peccato originis. 10
16 Quomodo Deus ad gloriam ſuam vtatur hominis peccato. 11
17 Ieſus Chriſtus vnicus Mediator, quomodo promiſſus ſub Lege. 11
18 Quæ ſit conuenientia, & quod diſcrimen veteris & noui Teſtamenti. 12
19 Cur oportuerit Chriſtum fieri verum hominem, ſed abſque peccato. 12
20 Cur Chriſtum oportuerit verè Deum eſſe. 13
21 Quomodo ſaluris noſtræ myſterium in Chriſto exhibito fuerit impletum. 15
22 Duæ naturæ, Diuina & humana, in vnam perſonam vnitæ, ab ipſo conceptionis carnis momento. 15
23 Maria virgo eſt mater Ieſu Chriſti Dei & hominis. 16
24 Breuis deſcriptio quomodo Chriſtus ſalutem nobis attulerit. 16
25 Quomodo Chriſtus ſeſe in cælum ſubduxerit, & tamen nobiſcum adhuc verſetur. 18
26 Nullam aliã eſſe poſſe veram religionem quàm Chriſtia-

Christianam. 19

De sancto Spiritu, caput quartum.

1 De persona Spiritus sancti. 20
2 De effectibus qui in Spiritu sancto propriè cõsiderantur. 20
3 Spiritus sanctus sola fide nos facit Christi participes. 21
4 Quibus medijs vtatur Spiritus sanctus ad fidem in nobis creandam ac conseruandam. 21
5 Quantopere necessaria sit fides & quid sit. 21
6 Quod sit veræ fidei obiectum, & quæ eius efficacia. 23
7 Quomodo sit accipiendum quod ex Paulo affirmamus nos sola fide iustificari. 24
8 Certum esse suæ salutis per Christum fide apprehensum, nihil minus esse quàm arrogantiam. 25
9 Fidem inuenire in vno Christo quicquid ad salutem requiritur. 26
10 De primæ tentationis primo insultu, in quo nobis innumerabilia peccata nostra proponũtur: & vnico remedio quod in vno Christo aduersus hũc insultum per fidem inuenitur. 27
11 De remedio quod vna fides in vno Christo nãciscitur, aduersus alterum eiusdem tentationis insultum, positum in eo quòd nusquam nobis extat iustitia illa quam Deus à nobis suo iure requirit. 33
12 De tertio eiusdẽ tentationis insultu, quòd natura simus corrupti, ac proinde Deo exosi. 34
13 De remedio aduersus secundam tentationem, an Fidem habeamus. 36
14 Impudentem esse calumniam eorum qui dicunt bona opera à nobis reprehendi. 40

15 Prima controuersia in argumento bonorum operum, Quænam sint pro bonis, & quæ pro malis habenda. 41
16 Quæ sint opera omnium excellẽtissima, quę sint verę preces, & quanta sit earum pręstantia. 42
De operibus charitatis erga proximum. 49
De operibus indifferentibus 50
17 Altera controuersia de bonis operibus, in qua quæritur de eorum principio & origine. 51
18 De tertia controuersia in bonis operibus, nempe quænam sit eorum vtilitas. 53
19 Quorsum nobis vtilia sint bona opera apud Deum & apud homines. 56
20 Remedium aduersus vltimam eamque grauissimam tentationem, in qua quæritur an simus ex Electorum numero: & quis sit vsus doctrinæ de particulari electione. 61
21 Quibus instrumentis vtatur Spiritus sanctus vt fidem creet in Electorum cordibus. 71
22 Quid intelligatur verbi Dei appellatione, & de duabus eius partibus Lege nimirũ & Euãgelio. 71
23 Quid inter se commune habeant Lex & Euangelium: & rursus quibus in rebus differant. 73
24 Quorsum vtatur Legis prædicatione Spiritus sanctus. 78
25 De altera verbi Dei parte quæ Euangelium dicitur, cuius sit auctoritatis, quamobrem, quomodo & in quem finem scriptum. 81
26 Ad Euangelium pertinere aliqua etiam ex parte libros qui veteris Testamenti dicuntur. 84
27 Quæ sit sacræ Scripturæ auctoritas, & quamobrem debeat in omnia vulgata idiomata transferri. 85
28 Quomodo vtatur Spiritus sanctus externa Euan-

uangelij prædicatione, ad fidem in Electis gignendam, & indurandos reprobos. 88
29 De altero fructu prædicationis Legis qui consequitur efficacem Euangelij declarationem. 89
30 De altero instrumento quo vtitur Spiritus sanctus vt nos efficiat Iesu Christi participes, & quibus de causis Dominus non acquieuerit in nuda & simplici prædicatione verbi. 91
31 Definitio Sacramenti. 94
32 Quod sit discrimen inter veteris & noui fœderis Sacramenta. 95
33 Quibus notis vera Sacramenta ab adulterinis distinguantur. 96
34 De ijs quæ communia sunt verbo & Sacramẽtis. 97
35 Quid habeant proprium & peculiare Sacramẽta, eius quidem finis respectu propter quem à Deo sunt constituta. 99
36 Duo tantùm esse Sacramenta Christianæ Ecclesiæ. 102
37 Quatuor esse præcipua capita consideranda in Sacramentorum explicatione. 103
38 Primum caput, quid sit signum & quamobrem Deus rẽs penitus vulgares in constituẽdis Sacramentis delegerit. 103
39 De illorum errore qui substãtiam Signorũ abolent in Sacramentis. 105
40 De mutatione rerum corporalium in Sacramẽtis. 105
41 Vnde proficiscatur mutatio rerum quæ in Sacramentis adhibentur. 106
42 Mutationem hanc non esse perpetuam. 107
43 Secundum caput in quo agitur de re ipsa Sacramentorum. 107

44 Tertium caput in quo quæritur quomodo res ipsa, id est Iesus Christus dicatur cum signis coniungi. 108
45 Distinctio signorum & rei. 109
46 Quartum caput, in quo quæritur quomodo tum signa, tum res ipsas percipiamus. 110
47 Applicatio superioris doctrinæ ad Baptismi Sacramentum. 111
48 De infantium Baptismo. 114
49 Cur Baptismus non reiteretur. 117
50 Applicatio superioris doctrinæ de Sacramentis ad Cœnam Domini. 118
51 Conclusio rei sacramentariæ. 125
52 Cur Spiritus sanctus vocetur paracletus, & quis sit afflictionum nostrarum vsus. 125

De Ecclesia, caput quintum.

1 Semper fuisse & fore aliquam Ecclesiam, extra quam non sit salus. 127
2 Vnam duntaxat esse veram Ecclesiam. 227
3 Cur Ecclesia Catholica vocetur. 128
4 De sanctorum communione. 128
5 Ecclesiam vnum duntaxat caput habere, quod nullo socio, neque successore, neque vicario indigeat. 129
6 Communionem sanctorum non impedire quominus varij sint munerum Ecclesiasticorum gradus. 130
7 De signis quibus vera Ecclesia dignoscitur ab adulterina. 131
8 De veris Ecclesiæ membris. 134
9 Signa Ecclesiæ non esse semper in eodem statu. 135
10 De auctoritate Ecclesiæ. 137

11 De auctoritate Conciliorum vniuerſaliũ, ac primùm quidem quid hoc nomine intelligatur. 137
12 Penes quem ſit ius conuocandi vniuerſalis concilij. 138
13 Quomodo ſint eligendi qui ad Concilia mittuntur. 139
14 Quemuis poſſe audiri in Concilio, modò id ritè & ordine fiat. 142
15 Quis præeſſe debeat actionibus Conciliorum vniuerſalium. 134
16 Quantum tribuendum ſit auctoritati Synodorum. 150
17 Cur indici cõſueuerint Synodi in Eccleſia Chriſtiana, & quæ ſit earum poteſtas. 154
18 Quid primo loco ſit conſiderandum in politia Eccleſiæ conſtituenda. 159
19 Quid ſecundo loco ſit conſiderandum in politicis Eccleſiæ legibus. 161
20 Quid tertio loco ſit in politicis Eccleſiæ legibus ſpectandum. 162
21 Quid ſit ijs reſpondendum qui Conciliorum auctoritatem nobis obijciunt. 164
22 De Synodis particularibus, id eſt, prouincialibus vel Nationalibus, quas vocant. 166
23 Quot ſunt ſpecies ordinariarum functionum in Eccleſia legitimè conſtituta. 167
24 De munere Apoſtolorum, Euãgeliſtarũ, & Prophetarum in primitiua Eccleſia. 167
25 De munere Paſtorum & Doctorum. 169
26 Diſcrimen eſſe inter Paſtores & Doctores. 170
27 Paſtores & Doctores eſſe duntaxat inſtrumenta quibus vtatur Deus. 170
28 Quibus ſignis diſtinguãtur veri Paſtores & Doctores à falſis. 172

29 Aliquem ordinem constitui oportere in Pastorum collegio. 175
30 De secunda specie publicorum munerum in Ecclesia, id est, officio Diaconorum, & ærarij Ecclesiastici administratione. 177
31 De inferioribus ordinibus quos minores vocant. 180
32 De tertia specie Ecclesiasticarum functionum earum videlicet quæ versantur in iurisdictione. 181
33 Quis sit scopus iurisdictionis Ecclesiasticæ, & quę ipsius partes. 184
34 De singulis partibus officij Presbyterorum. 185
35 De Electoribus Ecclesiasticis. 187
36 Cuiusmodi esse oporteat qui eliguntur. 190
37 De ratione ferendorum suffragiorum. 191
38 De confirmatione electionum. 191
39 De Matrimonio, & Cœlibatu & diuortio. 192
40 De Ieiunio. 197
41 De dierum & ciborum delectu. 198
42 De ea parte Iurisdictionis Ecclesiasticæ, quæ ad correctiones spectat. 199
43 Quid sit excommunicatio, & quis sit ipsius rectus & legitimus vsus. 202
44 De Christiani Magistratus officio. 209
45 De obedientia quæ Magistratibus debetur. 211

De vltimo iudicio, caput sextum.

Quid sit nobis credendum & sperandum de venturo vltimo iudicio. 219

Breuis antithesis Papatus & Christianismi, caput septimum.

1 Papistas pro vero Deo colere fictitium & imaginarium numen, quod neque perfectè iustum neque perfectè sit misericors. 222
2 Si vera est Papistarum Doctrina, Christum desijsse hominem esse, ac proinde spem nostram esse prorsus inanem. 223
3 Papatus eneruat Christi oblationem. 226
4 Papistæ abolent Christi intercessionem. 230
5 Papatum negare Christi prophetiam. 231
6 Papatus Christum spoliat suo Regno. 232
7 Papatus ignorat quàm misera sit hominis conditio. 232
8 Papistæ ignorant quid sit fides, ac proinde quo pacto possit Christi beneficium, miseris & perditis hominibus applicari. 234
9 Papistæ neque Legis, neque Euangelij vsum norunt. 235
10 Ignorat Papatus quæ sint bona opera, & quis sit eorum fructus. 237
11 Papistæ non satis tenent quæ sint Sacramenta, & in quem vsum instituta fuerint. 238
De Baptismo Papistico. 238
De Sacramento altaris Papistico, siue de Missa Papistica. 241
De prorsus fictitijs Sacramentis Papisticis: ac primùm quidem de Confirmatione. 246
De pœnitentia Papistica. 247
De contritione. 248
De confessione. 249
De satisfactione. 252
De ordinibus Papisticis. 254
De Clericali tonsura. 255
De quatuor minoribus ordinibus. 256
De maioribus ordinibus Papisticis. 275

De Matrimonio. 260
De extrema vnctione. 262
12 Nullum esse verbi ministerium legitimum in Papistica synagoga. 263
13 In synagoga Papistica nullâ esse Diaconiam. 273
14 De falso Papisticæ synagogæ Presbyterio. 276
De Monachis. 279
15 Papistæ Magistratuum contemptores manifestissimi. 282
Conclusio totius operis. 284

LOCI

LOCI COMMVNES QVI INTER CÆTEROS IN HAC THEODORI BEZÆ Confessione fidei disertè explicantur.

Angeli. 3
Arbitrij libertas. 9

Baptismus. 111

Christianismi cum Papatu antithesis. 222
Christiani Magistratus officium. 209
Ciborum & dierum delectus. 198
Cœlibatus. 192
Cœna Domini. 118
Concilia vniuersalia. 137. & 143

Deus Pater. 2
Diaconorum munus. 177
Diaconia nulla in Papatu. 273
Dierum & ciborum delectus. 198
Diuortium. 192
Doctores & Pastores. 169. & 170

Ecclesia. 126
Eius auctoritas. 137
Signa quibus ab adulterina dignoscitur. 131
Electionum Ecclesiasticarum confirmatio. 191
Electores Ecclesiastici. 187
Euangelium. 81
Euangelij prædicatio. 88
Excommunicatio. 202

Fides iuſtificans. 21
Eius efficacia. 23
Filius Dei. 4
Functionum Eccleſiæ prima ſpecies. 166
Secunda. 177
Tertia. 181

Hominis creatio. 6

Ieiunium. 197
Infantium Baptiſmus. 114
Iudicium vltimum. 219
Iuriſdictio Eccleſiaſtica. 199
Iuſtificatio. 33

Lex & Euangelium. 73

Magiſtratus. 209
Matrimonium. 192.& 193
Mediator vnicus. 11
Meritum Chriſti. 31
Mors prior & poſterior. 8
Mortificatio. 38

Naturæ duæ in Chriſto. 15
Nouum Teſtamentum. 12

Opera. 40.& deinceps.
Ordinariæ functiones in Eccleſia. 166
Originis peccatum. 10

Papatus quã à vera doctrina & religione diſtet. 222
Paſtores & Doctores. 169.& 170
Politia Eccleſiæ. 159.& deinceps

INDEX.

Precum præstantia. 42
Presbyteri. 185
Presbyterium Papisticum. 276

Religio vera. 19
Remedia aduersus tentationes. 27. 33. 36. & 61.

Sacramenta. 94. & deinceps.
Sacramenta adulterina. 96
Sacramentorum notæ. 96
Sanctorum opera. 28. & 29
Scripturæ auctoritas. 85
Signorum & rei distinctio in Sacramentis. 109
Spiritus sanctus 20. & 125
Synodi. 150. & deinceps.

Verbum Dei & eius partes. 71
Vetus Testamentum. 12

FINIS.